FRIDERICI ESAIAE PUFENDORFII DE PRIVILEGIIS, SPECIATIM DE...

Friedrich Essaias : von Pufendorf




BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
C
53
NAPOLI

FRIDERICI ESAIAE PVFENDORFII
DE PRIVILEGIIS,
SPECIATIM DE JVRE DE NON ADPELLANDO LIBELLVS.





HANNOVERAE,

IMP. NIC. FOERSTERI ET FILII.

cIↄ Iↄ CC XXX.



ILLVSTRISSIMO,

PERILLVSTRIBVS
ATQVE
EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE

REGIS,

BRVNSVICO - LVNEBVRGENSIVM

DVCIS

ET S. R. I. ARCHITHESAVRARII ET ELECTORIS

IN TERRIS ELECTORALIBVS

A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

DOMINIS AC MAECENATIBVS MAXIMIS

HAS

INGENII SVI PRIMITIAS

ANIMO DEMISSO

CONSECRAT

ILLVSTRISSIMI,

PERILLVSTRIVM ATQVE EXCELLENTISSIMORVM

DOMINORVM AC MAECENATVM

CLIENS HVMILLIMVS

FRIDERICVS ESAIAS PVFENDORFIVS.



PRAEFATIO.

HUnc ingenii mei fœtum disquisitioni tuæ, amice lector, subjecturus, pro more scriptorum de instituti ratione mihi præfanda esse nonnulla, arbitror.

Cum primum quidem me ad hoc opus concinnandum adcingerem, privilegii de non adpellando naturam & indolem peni-

tius paulo investigare, mihi animus erat. At cum id commode fieri vix posse, intelligerem, nisi omnem privilegiorum naturam solius rationis ponderibus prius examinassem, neque invenirem quenquam, qui hoc argumentum secundum rationis leges solidius adcuratiusque enodasset, operæ pretium mihi esse, videbatur, eam quidem materiam peculiari tractatione ante explicari, quam ad ipsum privilegium de non adpellando progrederer. Qua quidem in re

id

id tantum mihi propoſui, ut paulo diſtinctius exponerem certiorique ratione demonſtrarem ea, quæ jure de non adpellando continentur. Ignoſces igitur nobis, amice lector, ſi ipſam privilegiorum materiam non omnem forſitan exhauſimus. Atque id quidem in cauſa fuit, cur renuntiationem jurium inprimis ante privilegiorum tractationem perpendimus, quoniam ipſa privilegiorum natura vix dilucide explicari poteſt, niſi prius de renuntiatione jurium

egeris. Nemo enim adhuc, mea quidem ſententia, hoc argumentum ſatis diſtincte commodeque ſecundum regulas juris naturalis tractavit.

Cum autem jus publicum non ex jure civili Romano, ſed tantum ex ratione ipſa dijudicandum ſit, hujus potius, quam juris Romani leges ſpectavi, quanquam nec has quidem omnino neglectas omiſſasve deprehendes. Eas enim in univerſo argumento, quod in Capite primo de privilegiis tractavimus,

mus, juri naturali ſemper adneximus, ubi ab hoc jure paulum diſcrepare videbantur: id quod ſignificandum tibi eſſe duxi, neſcius ne eſſes. Aliter enim quod ad leges civiles attinet, varia, quæ propoſuimus, cum veritate non videntur congruere.

Hac præterea methodo, quantum ejus fieri potuit, uſi ſumus, ut ea, quæ ſequuntur, ex iis demonſtraremus, quæ antecedunt. Primo itaque loco de iis egimus, quibus ea, quæ ſequuntur, commodius ex-

poneremus. Iſtam enim docendi viam, ut poſteriori demum loco tractentur, quibus nondum cognitis intelligi ſatis nequeant ea, de quibus jam loquimur, aut argumenti ratio lectorem celetur, perverſiſſimam eſſe, ſemper cenſuimus: cujus rei Heineccium, celeberrimum Virum, auctorem habeo. Nam alioquin lectoris animus ſatis convinci non poteſt, ita ut, quæ dixeris, certa eſſe, circulumque vitioſum, quod attinet ad demonſtrandi rationem, non admiſſum, exiſtimet. Hæc certe methodus eſt vere λογικὴ & naturalis, quæ cum neque in juris noſtri doctrina, excepto tantum Heineccio, neque in aliis diſciplinis adhuc adhibita ſit, â Mathematicis, quibus ſemper ab antiquiſſimis inde temporibus adriſit, mathematicæ nomen invenit. Noſtrum igitur hunc libellum methodi mathemati-

ti-

ticæ periculum juri adplicatæ adpellare poſſis.

Multos equidem novi, qui hujus methodi uſum in juris diſciplina nullum eſſe, perperam ſibi perſuadent, quod omnia non poſſint demonſtrari neceſſariis rationibus, id quod in Mathematicis fieri plerumque ſolet. At ii quidem, meo judicio, falluntur egregie. Neque enim ipſi Mathematici omnia poſſunt deducere ex principiis neceſſariis, quæ tradunt, imo potius multa, quæ experientia ſubminiſtrat certa atque indubitata, in quibusdam diſciplinis ponunt tanquam principia, unde plures oriantur veritates. Wolfius ipſe, Vir celeberrimus, qui inter Mathematicos hodie merito primas tenet, regulas motus ex neceſſariis principiis adhuc elici & demonſtrari potuiſſe, negat. Nihilo autem ſecius Mathematici has ponunt regulas,

ex quibus ulteriora convincant. Eodem modo Aſtronomi multum ſane ſumunt ex obſervationibus longa temporum ſerie incredibili cura confectis, quibus innitantur ulteriora probaturi.

Imitemur itaque hac in re Mathematicos, & quæ ii ex experientia, ea nos arripiamus ex legibus civilibus, & in iis aliarum veritatum, quæ inde proficiſcuntur, jaciamus fundamenta. Priori ſemper loco ponamus ea, ſine quibus intelligi non poſſunt, quæ ſequuntur: definitiones adcuratas conficiamus, & formemus axiomata ac theoremata; atque hac tandem ratione efficiemus, ut methodum mathematicam in juris noſtri doctrina obſervaſſe, dicamur, corruatque eorum opinio, qui jurisprudentiam ab ea abhorrere, pertinacius contendunt. Eam enim rationem ſi ſequaris, nullus dubito, quin tan-

tandem ſyſtema quoddam juris civilis abſolutum componi poſſit idque ordine mathematico, dummodo Digeſtorum, vel Inſtitutionum immutes ordinem, & materias quasdam, ſi recte ita videbitur, dividere, non extimeſcas. Quod ſi enim Inſtitutionum vel Pandectarum ordini nunquam non anxie inhæreas, multa trades priore loco, quæ intelligi non poſſunt, niſi ea prius cognoveris, quæ poſtea explicantur. Sic patris & domini poteſtatem apud Quirites ejusque effectus adoptiones atque emancipationes ſatis perſpicue haud capies, niſi res mancipi & dominium Quiritarium cognitum habueris. At ea altero demum libro exponuntur poſt locos, ubi de patris & domini poteſtate agitur. Eodem modo quæ de tutela teſtamentaria traduntur, non ſatis explicari poſſunt, niſi de teſtamentis & codicillis prius edoctus fueris. Is

Is vero, qui adgredi apud animum decernet opus Pandectarum aut Institutionum, mathematico ordine conficiendum, jus naturale, hominum mentibus insitum, fundamenti instar apte constituet, & in singulis locis, qui occurrent, commonstrabit adcurate, qua in re Quirites â jure naturali interdum paululum discesserint, ejusque rei rationem ex antiquitatibus ipsaque indole Reip. Romanæ pulcre deducet. Cum jus Pontificium quoque in caussis creberrimis apud Germanos vigeat, ejus etiam instituta iis materiis adjunget. Neque vero Jus Germanicum negligendum ei erit, quatenus inprimis usu colitur. Qua tamen in re ut singulorum oppidorum statuta vel jura regionum singularum recenseat, ei auctor non ero. Haud equidem diffiteor, id magni fore laboris opus;

pus; ſed quo magis arduum ac difficile, eo magis nobile quoque erit & glorioſum.


Non opus eſt, te rurſum commonefieri, amice lector, ne definitiones noſtras â vulgari loquendi ſentiendique ratione alienas arbitreris eſſe. Exempla, quæ inſeruimus, ſingulis definitionibus ſubjecta hoc teſtantur ſatis. Facultatem equidem aliter â Grotio definiri, non diffiteor, atque â nobis. Verum cum noſtra definitione egregie conſentit communis loquendi ratio, quæ res meræ facultatis eadem voce intelligit, quam ego adhibui. Si potius vulgarem vocis ſenſum aliquando paululum immutavimus, id ſine graviſſima ratione non fecimus, velut ex ipſo libello perſpicies.

Plura, de quibus tecum loquar,

quar, non ſuccurrunt. Extremo tantum loco etiam atque etiam rogo te atque obteſtor, amice lector, ut vitia per abſentiam meam ab operis commiſſa mihi ne vitio vertas, ſed animo benigno atque humano emendes. Vale.

Cellis Luneburgicis
ad d. VIII. Mart.
cIↄ Iↄ CC XXX.

TRA-



TRACTATUS DE PRIVILEGIIS SPECIATIM DE JURE DE NON ADPELLANDO.

CAPUT I. DE PRIVILEGIIS.

§. I.

Ratio instituti.

PRivilegiorum indolem & naturam penitius paulo investigare scrutarique animus est. Qua quidem in re necessarium esse duxi, ut quædam de lege, itemque de jure, quod ex lege enascitur, præfarer. Hoc enim, arbitror, modo efficietur, ut multo facilius ea, quæ in ipsa privilegiorum tractatione exponenda, & dilucidentur, & intelligantur.

§. II.

Quid obligatio.

Obligatio existit, quando causa quædam, quæ voluntatem moveat, cum actione quadam connectitur. Voluntas igitur cum moveatur perceptione boni cujusdam vel mali, opus est, cum obligatio introducenda sit, ut quoddam bonum malumve cum actione connectatur, eo quidem modo, ut actio, quæ suscepta est, rationem contineat, quare bonum istud malumve consequatur. Sic enim vel ad eam suscipiendam incitabimur, vel ab eadem perpetranda abstrahemur. Ac ita quidem si obligandi sunt cives, ut ne in lugendis propinquis suis modum quendam præscriptum excedant, legislator statuit, ut, qui istum excesserit, pœna quadam adficiatur. Hoc facto igitur nimius ille luctus rationem continet, quare malum quoddam consequatur, & sic cum ea actione connexa est causa quædam, quæ te moveat, ne in luctu modum determinatum excedas.

§. III.

Quid lex.

Lex autem, quandoquidem generali-

ter

ter de ea dispicitur, est regula quaedam, ad quam ut actiones liberas dirigamus, obligamur.

§. IV.

Quid sit permittere, & quid licentia.

Qui alterum se non prohibiturum significat, quo minus quid agat, is *permittere* dicitur. Quoties igitur lex, se non prohibituram, significat, quo minus quid agas, toties permittere dicitur. Nascitur ex ea legis permissione facultas quaedam, ut quid non invitis legibus agere possis, quae facultas adpellari solet *licentia.*

§. V.

Quando lex naturae permittere dicatur.

Quodsi ad naturae primam legem animum attendas, illud quidem ex juris naturalis doctrina satis perspicuum est, eam omnes actiones liberas determinare, utrum suscipiendae sint, an minus. Est haec plenissima lex, omnia exhauriens, nihil intactum relinquens, vel ob eam causam civilibus legibus omnibus anteponenda. Decernit enim, ut actiones suscipiantur, quae nostrum aliorumque hominum statum perficiunt,

prohibet, quæ imperfectionem quandam tum nobis, tum aliis adferunt. Atque ut eo faciliores promtioresque officia ista exequamur, connectit cum actionibus universis causas quasdam voluntatem impellentes, ita quidem, ut ex iis, quas suscipi vult, boni quidquam, contra si quas prohibet, mali quid, necessaria quadam consequentia, proficiscatur. Qua ratione obligationem inducit (§. II.), ut, quæ nostrum aliorumve statum perficiunt, faciamus, contraria fugiamus. Ea vero obligatio vel id spectat, ut nostra ipsorum perfectio felicitasque sola obtineatur, & sic quidem vocatur *interna*, vel alienæ perfectionis quoque ratio habeatur, quæ quidem *externa* adpellatur. Ac sic quidem obligatio aliorum externa adest, secundum naturalia jura, ut ne alter alterum turbet, quoties nihil committit is contra officia ipsi debita. Incidit itaque, ut cum spectetur obligatio interna nostra, quæ circa externam quandam utilitatem facile ab aliis intercipiendam vertitur, sejungamus tantisper cogitando obligationis nostræ vim, quæ nos impellere ad id debeat, atque in illud tantum men-

mentem advertamus, quod lex naturalis hoc facto significet cum nobis, tum aliis, nos ea non prohiberi. Et cum obligentur alii, ne nos turbent, si ii plane non lædantur facto nostro, tum quoque significat lex naturalis aliis, se nos minime prohibere eorum gratia, quanquam nobis ipsis id non semper significet. Cum igitur, quod proxime antecedenti paragrapho animadvertimus, permittat lex, quæ significat, se non prohibere, evenit, ut lex naturalis permittere dicatur, si circa externas utilitates consequendas, remota tantisper obligationis nostræ internæ vi, vel aliorum obligatione posita, respiciatur illud, naturalem legem saltim significare, se nos minime prohibere. Atque ita quidem licentiam jure naturali adesse, unusquisque adfirmabit (§. IV.)

§. VI.

Quando non permittat.

Sed quoniam tum demum lex licentiam dat, cum se non interdicere significat (§. IV.), non potest eandem tribuere, cum se prohibere significat. Quod cum fiat, si aliis inferamus damnum, eorumque statum infeliciorem redda-

mus, sequitur, ut lex naturalis non concedat licentiam, utilitates nostras aliorum incommodo & detrimento augendi.

§. VII.

Quid leges civiles permittant.

Fuit ea inprimis, quod naturalis juris doctores tradunt, rerum publicarum constituendarum ratio, ut ab injuriis pessimorum ingeniorum securi cives officia lege naturali iis injuncta, commodius remotisque omnibus obstaculis, exequi possent. Atque idcirco non opus est, obligari cives in rep. ad ea quoque officia naturalia, quibus observatis ipsorum major felicitas gignitur. Satis enim est ad eum reip. finem obtinendum, ut obligatio tantum naturalis externa (§.V.) corroboretur, fortiusque adstringantur viventes in societate, ut alii aliis concedant praestentve, quod jam naturalis eorum obligatio ex regulis justi exigit. Atque hoc modo dum obligatio ad id concedendum nova generaliter introducitur, satis clare leges quoque civiles omnibus significant, se non prohibere, quo minus externas easdem utilitates adipiscamur, quas jam antea lex naturalis permisit, & hinc easdem ge-

generaliter permittunt (§. IV.) Unde generalis in ſtatu civili licentia denuo conſtituitur, commoditates externas eas capiendi, quæ lege naturali ſunt permiſſæ.

§. VIII.
Declaratur.

Verum cum ſalus & tranquillitas civitatis ſuprema omnis civilis conſociationis regula ſit, ideò meritò civiles leges interdum eas commoditates externas prohibent, quas permiſit naturalis lex, ſi ſalus tranquillitasve reip. id exigat.

§. IX.
Quid non permittant.

Non eſſe naturalibus legibus inimicas civiles, ſed potius easdem novis fortiusque animos impellentibus cauſis corroborare, adduxi jam ex ea Philoſophiæ parte, quæ civium officia exponit. Atque hinc ſane colligitur, neque civiles leges permittere actionem, quam naturalis legis obligatio coerceat, quo pertinet, ut ne aliorum incommodis emolumentum nobis quæramus (§. VI.)

§. X.
Declaratur.

Enimvero, ſi qua ad ſalutem perfe-

ctionemque reip. pertineant, ea in ſtatu civili inprimis ſunt ſequenda. Quapropter in civitate is, cui ſumma rerum eſt commiſſa, licentiam interdum dare poteſt, quæ quanquam ſingulorum civium commodis minus adcommodata videatur, majorem tamen reip. totius ſalutem efficiat.

§. XI.

Status & perſona quid.

Modus, quo actiones hominum liberæ à lege circumſcriptæ ſunt, *ſtatum* hominis moralem ponit, & homo dum in ejusmodi ſtatu locatur, *perſona* eſt. Lex igitur cum terminet actiones, ſi obligationem introducat, vel licentiam det, ſatis hinc perſpicuum eſt, ſtatum hunc moralem contineri omni licentiæ & officii genere.

§. XII.

Quid ſit jus.

Si alterius obligatione poſita, ratio adſit ob quam tibi agere quid liceat, *jus* adeſſe dicimus. Sic ſi pecuniam alteri mutuam dederis, obligatus is eſt, ad eam Tibi reſtituendam, & hoc modo licentia tibi naſcitur, pecuniam iſtam ab eo repetendi, quæ quidem licentia jus

jus vocari ſolet. Jus igitur eſt licentia, cujus ratio in aliena obligatione collocatur.

§. XIII.

Quid facultas & res meræ facultatis.

Quod ſi vero ſufficiens ratio, ob quam nobis liceat quid, jam ſita eſt in alia quadam licentia noſtra, tunc facultatem adpellamus. Eſt igitur *facultas* licentia in alia quadam licentia noſtra fundata. *Res* vero *meræ facultatis* eſt id, quod facultate quadam noſtra facere poſſumus. Hac itaque ratione, ſi quis dominium alicujus rei tenet, licentia eam ad uſus ſuos convertendi, vel de eadem diſponendi facultas eſt, iique actus ſunt res meræ facultatis. Ratio enim, cur id facere poſſis, ſufficiens latitat in jure dominii, quod penes te eſt. Sic ratio, cur mercari liceat, locata eſt in jure civitatis. Si cui igitur jus civitatis eſt, ei etiam facultas eſt mercandi, atque ipſa ſic mercatio res meræ facultatis eſt.

§. XIV.

Quando facultas degeneret in jus.

Monendum vero eſt hoc loco, ne quis ſententiam noſttam minus recte intelligens, exiſtimet, in facultate re-

busque meræ facultatis plane nullam adesse aliorum obligationem. Sunt etiam hic omnino obligati alii, ne ista facultate nos usuros turbare audeant. Verum in ista obligatione ratio hujus licentiæ nostræ non ponitur, si nemo nos prohibeat. Quod si igitur alii facultatem nostram inhibeant, tunc necesse est, ut in aliorum quoque obligatione fundatam esse licentiam nostram, doceamus. Cum igitur licentia, cujus ratio in aliena obligatione collocatur, jus adpelletur (§. XII.), ea facultas quoque hoc facto juris nomen sortitur. Sic, qui dominium rei exercet, is rem istam pignoris quoque nexu obligare potest. Hanc licentiam, si prohibitionem aliorum removeas, facultatem potius, quam jus adpellabis. Est enim sic satis fundata in jure dominii, quod exercemus. Eadem vero juris nomen induet, si, aliis inhibentibus, eorum quoque obligationem respiciamus.

§. XV.

Quid sit arbitrium & res meri arbitrii.

Si, cum alteri quid præstes, te ad id præstandum non obligatum esse, cogitas,

tas, notio *arbitrii* naſcitur. Illud igitur, quod tribuimus alteri non obligati, dici ſolet *res meri arbitrii.* Sic ſi huc usque â Titio potiſſimum vina emeris, neque illud ex obligatione quadam feceris, res hæc meri arbitrii eſt. Eadem ratione, ſi eccleſiæ miniſtro quotannis munera & ſtrenas mittas, ad quod faciendum obligatus non es, itidem hæc res eſt meri arbitrii.

§. XVI.

Monitum.

Vulgo quidem res meri arbitrii adnumerari ſolent rebus meræ facultatis. Nobis vero, qui curatius loqui ſtudemus, percommodum viſum fuit, ut cum in utraque re diverſum quid ſpectetur, diverſa etiam nomina iis imponerentur. Facultas enim potius legem permittere, ſignificat, arbitrium, non obligare. Illa potius utilitatem noſtram, hæc reſpicit alienam.

§. XVII.

Quando lex naturæ jus concedere dicatur, & quando facultatem.

Quando leges naturales licentiam dent, jam ſupra expoſitum eſt (§. V.) Facile igitur patet, quando dicamus, jus no-

nobis ex naturali lege adesse, nimirum si in aliena obligatione ponenda sit ratio licentiæ nostræ. Quod si igitur jam obligatio nostra interna, qua lex significat, se non prohibere, eam licentiam subministrat, nec alienæ obligationis haberi ratio debeat, facultatem à naturæ lege suppeditari putamus. Ac quoniam sic obligationem internam instar licentiæ cujusdam esse ponimus, etiam hoc facto facultas in alia quadam licentia sita erit. Quod si faciendi potestas ex jure alio fluat, eadem quidem ratione facultatem adesse, existimamus.

§. XVIII.

Quando secundum leges civiles jus facultasve adsit.

Quando secundum civiles leges facultas seu jus adsit, eodem quidem modo facile intelligitur. Etenim in civili quoque consociatione naturalia officia erga nos ipsos permittuntur, & præsertim, si externa commoditas percipienda sit, aliorum turbationibus eximuntur (§. VII.) Unde quodvis officium naturale, inprimis quo utilitatem externam quandam capere juberis, tanquam licentia quædam consideratur, in qua si alia

alia licentia fundata ſit, hæc facultatis nomen indipiſcitur. Ac eodem modo illud intelligitur facillime, ſi qua licentia determinetur per jus quoddam, eam itidem facultatem adpellari. Jus vero adeſſe, ſi propter aliorum obligationem facere quid licet, ſatis quidem per ſe patet.

§. XIX.

Quomodo interdum regula juribus æſtimandis ponenda.

Generaliter ſecundum leges civiles ea licere, quæ legibus naturalibus permiſſa ſunt, ſupra docui (§. VII.) Verum enim vero difficillimum interdum temporibus cauſisque efficitur, ut judices, quid conveniat in rebus externis naturali legi, maxime cum in adplicandis regulis naturalibus nimium ſæpe diſquirendum ſit. Quod cum in judiciis tantum non plerumque difficultatis multum excitare poſſit, maxime ex uſu eſt, ut ſummus reip. moderator, peculiaribus legibus ea de re promulgatis regulam quandam communem ponat, à naturali paulum diſcrepantem, qua declaret, quid generaliter tibi in ea cauſa juris competat.

§. XX.

Quando hoc fieri possit pacto civium libere.

Quod si in quibusdam causis nihil ab ipso rectore civitatis generaliter determinatum sit, possunt ipsi cives conventione quadam inita id determinare, si ad alios, qui societate cum iis non continentur, actio plane non pertineat, sed de solo eorum civium commodo vel incommodo agatur, nec res salutem totius reip. respiciat. Atque hoc modo singulorum jus certius atque distinctius efficietur. Dum enim ad servanda pacta implendaque ea, quæ promissa sunt, generatim obligantur cives ab eo, qui imperio præ est, quatenus alterius partis interest, pactis vero proprium commodum incommodumque, quod cum aliorum damno non conjunctum est, terminare licet, ejus quoque generis pactum sine ulla dubitatione validum erit firmumque. Ac sic quidem merito sufficit generalis ad servanda pacta obligatio in Rep. corroborata, tacitusque vel expressus ipsius Principis in civitate consensus ad eam quoque rem separatus sine sufficiente quidem ratione exigitur.

Un-

Unde amplius efficitur illud, Judices in civitate ob eam ipſam cauſam, quod pactorum initorum tueri robur debebant, debere quoque ſecundum eam conventione civium ſtabilitam regulam pronuntiare, ſi nulla alia in iis cauſis à legibus civilibus facta determinatio, & tantum agatur de civium inter ſe commodo, vel incommodo.

§. XXI.

Quando non libere.

Enim vero aliter ſe habet cauſa, ſi jam de ea re quædam exſtet certa determinataque regula legibus civilibus conſtituta, vel ſi non agatur de ſolo civium commodo vel incommodo. Subditorum enim eſt, ut obediant, eumque in modum actiones ſuas componant, uti is, cui commiſſa eſt reip. cura ſtatuit ordinatque. Quod ſi igitur conventione quadam ſua novam & contrariam civilibus legibus introducere velint regulam, perinde eſt, ac ſi civitatis rectori obedientiam præſtare nolint, cui etiam ea ratione poteſtas, omnia pro ſalute reip. ordinandi perperam data eſſet. Quod ſi vero novæ regulæ ſtabiliendæ conſentiat civitatis gubernator, quod qui-

quidem vel ita fit, ut pactum istud ab eo confirmetur, vel ut sciverit, subditos id fecisse, nec eos prohibuerit, quo facto tacite consentire dicitur, sic sane legem ipse antea latam refigit quasi, novamque ponit. Atque ita quidem similiter est, ac si subditi proposuerint eam regulam Principi in civitate, ministrorum & consiliariorum vice functi. Neque igitur tum conventio subditorum, sed voluntas ipsius Principis in civitate aliter determinata, aliam juribus examinandis regulam introducit. Eodem modo cum suo pacto nemini incommodum quis adferre possit (§. VI.) Sequitur, ut si non agatur de solo civium commodo vel incommodo, ii suo pacto regulam nullam constituere possint, ideòque sic etiam Principis in civitate consensus accedere debet.

§. XXII.

Quid sit pactum tacitum.

Si factis animum significamus, *tacite* id fieri dicitur. Hinc cum is promittat, qui significat, se alterius gratia quid facturum, vel non facturum, tacite is promittere dicitur, qui idem significat factis. *Tacitum* ideò *pactum* enascitur,

si

ſi plures inter ſe alter alteri tacite mutuo quid promittant. Ac quoniam in promiſſis pactisque ſpectanda potiſſimum eſt voluntatis declaratio, voluntasque ſimiliter factis, quam vocibus, declarari poteſt, tacitum quoque pactum eandem producit mutuam obligationem, ac illud quidem, quod verbis conſtituitur.

§. XXIII.

Quomodo tacito civium pacto hæc regula conſtituatur & quid ſit conſuetudo.

Ex iis igitur, quæ (§. XXII. & XX.) propoſuimus, efficitur illud, ut tacita quoque omnium civium conventione regula quædam poſſit poni, quam in decidendis iis cauſis, quarum deciſio, ſi ex jure naturali petenda ſit, multum difficultatis faceſſeret, ſequantur Judices, vel etiam ipſi cives. Declaratur vero ipſa hæc voluntas tacite, ſi ad iſtam ſemper regulam in communitate iſta vel cœtu jus uniuscujusque, ſi cauſa inciderit, æſtimetur ab eo, in cujus obligatione ejus juris ratio conſtituenda eſt (§. XII.) Cum enim ſine aliorum obligatione exerceri poſſit nullum jus, eo ipſo facto dum ad hanc regulam jus, uniuscujusque æſtimant, ad eandem quo-

 que

que æſtimant obligationem ſuam omnes, & ſic ſignificant alii aliis, velle ſe, ut ſecundum eam normam jus cui eſſe exiſtimetur. Regula quæ hoc modo introducitur, vocatur *conſuetudo.*

§. XXIV.

Quando conſuetudo libere introduci poſſit.

Conſuetudo igitur introducitur tacito quodam pacto inter omnes cives inito, quo regulam quandam metiendis juribus determinant. Pacta vero ut ea de re libere ineant ſubditi ſine ullo conſenſu Principis in civitate, tum permiſſum cum ſit, ſi nulla antecedat ab hoc aliter facta determinatio, resque de ſolo paciſcentium commodo vel incommodo agatur, (§. XX.), conſuetudo etiam ſic libere à civibus ſtabilitur, & conſenſus Principis ad eam ſeparatus ſine ulla ſufficienti ratione exigitur (§. XX).

§. XXV.

Quando tacitus Principis conſenſus requiratur.

Quod ſi igitur civitatis rector jam antea aliam poſuerit regulam, ex eadem ratione, quam §. XXI. adduximus, hujus

jus quoque consensus vel expressus vel tacitus, accedat, oportet, qui quidem tacite significatur, si is subditos eam regulam sequi sciat, neque tamen eos prohibeat.

§. XXVI.

Cur in ea frequentia actuum & diuturnitas temporis requiratur.

Quoniam in consuetudine universi populi vel societatis totius consensus ad istam regulam exigitur (§. XXIII.) ideò ut is eluceat, adsit necesse est frequentia actuum, adsit diuturnum quoddam temporis spatium. Quorundam enim inprimis pauciorum civium factum universæ communitatis consensum inducere nequit. Accedit, quod si contra legem scriptam consuetudo introducenda sit, consensus quoque Principis saltim tacitus exigatur. At hic quidem non aliter potest intelligi, nisi ingens temporis spatium effluxerit, & frequentia actuum contigerit, unde conjicere liceat, id ad ministrorum & hinc ad ipsius Principis aures perlatum esse. Ipsum vero tempus vix determinare ausim, neque etiam actionum numerum. Oportet hic considerari causas

ipsas, an frequentiores incidant, an minus. Præsertim vero si contra legem scriptam consuetudo stabilienda sit, nec frequentissimæ causæ incidant, tum sane majus adhuc temporis spatium exigetur, quo & universi populi & tacitus Principis consensus inde conjiciantur. Unde etiam in corpore Juris Civilis Romani *longæva* semper vel *inveterata* consuetudo adpellatur.

§. XXVII.

Cur actus uniformes adesse debeant.

In consuetudine universi populi ad istam regulam consensus exigitur. Quod si igitur alii ex civium numero aliam regulam, & eorundem alii sequantur aliam, nulla adest ratio, cur hæc potius valeat, quam illa, & ideò nulla valebit. Neque etiam universi populi adest consensus. Atque hinc est, quod à Doctoribus in consuetudine uniformitas actuum exigatur. Sic ut exemplum adferam si in civitate circa successionem regula quædam constituenda sit, ut fratres in hæreditate fratris præferantur parentibus, oportet, ut id semper omnibus causis, quæ inciderunt, usu servatum sit. Quod si enim interdum paren-

rentes fratribus, interdum parentibus fratres prælati sint, non adest regula quædam ab omnibus comprobata, ideòque nec consuetudo.

§. XXVIII.

Cur debeat esse rationi non contraria consuetudo.

Ceterum uti pacta, quæ cum ratione pugnant, haud quidquam roboris induere possunt, ita nec consuetudo si rationi ea repugnet. Unde est, quod Constantinus M. ait in L. 2. C. quæ sit long. consuet. *Consuetudinis usisque longævi non vilis auctoritas est, verum non usque adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem* (postea latam.)

§. XXIX.

Consuetudo an debeat esse contradictorio judicio firmata.

Sed quoniam ejusdem quoque roboris manet pactum, quamvis nullà de eo lite coorta, in judicio adprobatum non fuerit, cum id ad pacti essentiam & ad obligationem, quæ inde nascitur, nihil addat, utpote quæ consensu paciscentium mutuo stabiliuntur, ita plane necessarium quoque non est ut consuetudo aliqua judicio confirmata sit, quamvis

id ad ejus probationem facile expediendam utilissimum sit. Unde quæ Ulpianus ait in L. 34. D. de LL. magis habenda sunt pro consilio, quod ei dedit, qui consuetudinem omnium facillime probaturus esset, id quod verba *explorandum duco* etiam significare videntur. Quanquam etiam pro voce *contradicto judicio* forsitan, ut alii viri docti putant, legendum sit *contradicta judicio*.

§. XXX.

An eodem modo observantia jus ponat.

Observantia est regula, secundum quam in judiciis jus uniuscujusque æstimari solet. Quæstio itaque incidit, an observantia in judiciis hucusque servata legis seu consuetudinis potius vim habeat, ut tolli arbitrio alio judicantium non possit. Fingamus igitur, eam tolli non posse alio judicantium arbitrio, & sic obligati erunt judicantes, ut semper ad istam regulam pronuntient: At qua ratione obligatio hæc introducta est? non quia lex eam regulam comprobat, non etiam quod comprobet universus populus. At enim ipsi Judices inter se tacita conventione inita hæc determinarunt. Hic ego ex te quæro, an alius alii

lii promissione sua pactoque incommodum adferre possit, cum quo nihil ea de re pactus est. Quod si negatis, negatis etiam, Judices hac sua observantia jus constituere posse. Faciunt eorum decreta, si corroborata sint, in ea causa jus, in qua sunt data, non faciunt in alia controversia. Sequuntur, dum sententias ferunt, opinionem, quæ maxime legibus consentanea esse videtur, ideò si jam alia magis videatur consentanea, eam potius jam sequuntur.

§. XXXI.

Quid sit jus reale.

Jura si vocis propriam indages notionem, neque brutis, neque inanimatis rebus, sed hominibus tantum competunt, ratione præditis, utpote in quos cadit obligatio & per missio legis. Sed incidit, ut aliquando essentiam juris ejusque originem parumper cogitando removeamus, atque in id animum intendamus, quis illud jus exerceat. Quod si igitur id spectemus, omnes, qui rem possident, cum possideant, jus quoddam exercere posse, perinde fere est, ac si ipsi rei juris hoc competere dicas, quia cum possessione rei illud jus semper est

 con-

conjunctum. Fingitur itaque hoc modo res in ſtatu quodam & perſonæ ſimilis eſſe (§. II.) Ea jura vocantur realia. *Jus* igitur *reale* eſt, quod à quovis rei poſſeſſore exercetur. Sic ſi quilibet rei poſſeſſor in alieno quodam fundo pecus ſuum paſcere poſſit, jus illud eſt reale.

§. XXXII.

Quomodo jus reale inhæreat rei,

Cum igitur â quovis rei poſſeſſore jus reale exerceatur, (§. XXXI.) Nihil refert, quis rem poſſideat, ſed quilibet ejus poſſeſſor ob eam ipſam cauſam, quod poſſidet jus iſtud ad uſus ſuos adplicare poteſt. Atque id circo jus reale dicitur prædio ſive *rei inhærere.*

§. XXXIII.

Quomodo transferatur in quemcunque poſſeſſorem.

Adparet hinc ſatis clare, ſi â te, qui hucusque rem poſſediſti, ea jam in alium transferatur jus etiam reale ſic ſimul in alium cum re transferri. Alioquin enim non â quovis poſſeſſore exercendum eſſet hoc jus, quæ inter ſe pugnant (§. XXXI.)

Quo-

§. XXXIV.

Quomodo cedi possit.

Cum cessio sit translatio juris in alterum, docente Juris prudentia, satis quoque eodem modo manifestum est, jus etiam reale simul cum prædio alteri cedi posse, imo toties cedi, quoties possessio rei in alterum transferatur.

§. XXXV,

Quid sit jus personale.

Quod si vero, dum quis illud jus exerceat, respicis, certi cujusdam & determinati hominis rationem habeas, jus istud vocatur personale. *Jus* igitur *personale* est, quod â certo quodam & determinando homine exercetur. Et hinc est, quod dicitur jus personale non excedere personam.

§. XXXVI.

Quid sit jus regale.

Jus regale est jus, cujus ratio in majestate quærenda est. Exercentur igitur jura regalia ab eo, in quo majestas residet.

§. XXXVII.

Illustratur.

Quænam sint jura regalia Philosophia civilis latius exponit. Nimirum quoni-

am majestas est illimitata potestas, communem salutem & securitatem tuendi, is, cui majestas competit, omnia faciendi potestatem habet, quæ ad communem salutem tranquillitatemque pertinent.

§. XXXVIII.

Determinatur.

Enimvero id quoque in singulis Rebus propositis examinandum occurrit, annon in iis constituendis tribuerit populus majestati communi omnium consensione jura, quæ quanqam ex ejus essentia, & indole necessario non fluerent, nihilo tamen secius ab eo tantum ex regula exercenda essent, penes quem est majestas.

§. XXXIX.

In primis ad Germaniam.

Si ad Germaniam nostram oculos convertas, majores nostros majestati jura quædam tribuisse, quæ quidem ex ejusdem notione secundum rationem efficta non intelliguntur, satis constat. Inprimis huc pertinet, quod omnia ei ἀδέσποτα seu res domino vacantes, adscripserint, dominoque fundi solam ejus crustam reliquerint. Hinc metallifodinas, thesauros, ea, quæ in littore maris inveniuntur, atque etiam, uti multo-

to-

torum juris doctorum ſententia fert, feras beſtias, majeſtati tribuerunt, propterea quod ea omnia domino vacarent. Arbitrati forte, omnium facillime Principi in civitate ad liberalem ſpeciem & dignitatem tuendam concedi poſſe ea, quæ domino adhuc careant, quoniam ſic nemini damnum inferatur, quamvis futurum quoddam lucrum intercipiatur.

§. XL.

Jura regalia ſunt facultates.

Quoniam igitur jura regalia per majeſtatem determinantur (XXXVI.) Fundata ſunt hoc modo in alio jure & ſic facultatibus adnumeranda ſunt (§. XIII.) ipſum vero eorum exercitium, quod fit ab eo, cui majeſtas competit, res eſt meræ facultatis. (ibid.)

§. XLI.

Quomodo eorum exercitium ſubditis & quatenus communicari poſſit.

Poſſe reip. moderatorem ea jura interdum exercere per alios, & ſic eorum exercitium aliis communicare, inde quidem patet, quia fieri non poteſt, ut omnia ea jura ipſe ſine aliorum auxilio exerceat. Ac quoniam id demum in civili hominum conſociatione fugiendum

dum eſt, quod convellit ſalutem & tranquillitatem communem, ſi ponas, Principem interdum ea jura non poſſe per alios exercere, ponas quoque illud, neceſſe eſt, communem ſalutem & tranquillitatem hoc facto imminui. Sic igitur regula quædam exiſtit, ad quam dijudices, quatenus regalium jurium exercitium ſubditis communicari poſſit, quatenus nimirum reip. ſalus & tranquillitas hoc modo non labefactatur.

§. XLII.

Quod ſic non eſt res meræ facultatis.

Sed quoniam, cum ab aliis exerceantur regalia quædam jura, eorum ſic exercendorum licentia non eſt fundata in alia quadam licentia, neque ſic quoque eorum exercitium, quatenus fit â ſubditis, in rebus meræ facultatis habendum eſt (XIII.)

§. XLIII.

An reliqua Principis jura ſint facultates.

Quod ſi is, cui reip. cura eſt commiſſa, jus quoddam exercet, quod non eſt regale, non conſideratur veluti is, in quo reſidet majeſtas, ſed velut alii privatæ ſortis homines. Unde ea jura non erunt facul-

facultates, neque res meræ facultatis eorum exercitium.

§. XLIV.

Quomodo tollatur jus.

Venio jam ad illud, qua ratione jus quod cui competit, facultasve tollatur. Atque ut primum de jure videamus, adest illud, quando per aliorum obligationem licentia quædam nostra determinatur (§. XII.) Quod si igitur tollatur aliorum obligatio, tolletur quoque jus nostrum. Si enim id tollatur, quod rem determinare debeat, nulla amplius aderit sufficiens ratio, ob quam illam rem postea existere debere, adfirmare possis.

§. XLV.

Quomodo tollatur facultas.

Facultas est licentia, quæ per aliam quandam licentiam determinatur. Quod si igitur tollenda est facultas, efficiendum est, ut ea non amplius determinetur per aliam istam licentiam. Quod vel ita fieri potest, ut licenita ista alia tollatur, vel ut restringatur ita, ut facultatis ratio ex ea non amplius peti possit, quo facto tollitur quoque revera ista licentia & alia in ejus locum substituitur. Manifestum igitur est, si tol-

tollenda sit facultas, obligationem quoque aliorum ad licentiam sive jus, in quo fundata est facultas, accommodatam simul tollendam esse, vel saltim aliter adcommodandam.

§. XLVI.

Quomodo tollatur arbitrium.

Arbitrium est, quod non præstamus alteri obligati. Quod si igitur tollendum sit arbitrium, fieri id non potest, quam si idem præstemus alteri, obligatione quadam ad id adducti.

§. XLVII.

Quid sit renunciare juri.

Qui significat, velle se, ut jus suum sublatum sit, is *jure suo renuntiare* dicitur. Sic filius si significat, velle se, ut jus suum succedendi patri sublatum sit, is juri suo hæreditario renuntiare dicitur. Cum igitur jus tolli non possit, nihi sublata quoque sit obligatio alterius, per quam determinatur, manifestum est, velle eundem, ut aliorum quoque obligatio juri huic accommodata tollatur. (§. XLIV.)

§. XLVIII.

Quid renunciare juri in alterius favorem.

Hinc

Hinc qui renunciat juri ſuo, ut alius quisquam hoc facto utilitatem percipiat, quam alioquin ne perciperet, obligatio ejus impedierat, is hoc facere dicitur *in alterius favorem.* Hac ratione renunciat filia paternæ hæreditati in favorem fratrum, quæ declarat, velle ſe, ut jus ſuum hæreditarium ſublatum habeatur, quo fratres propterea in univerſam patris hæreditatem ſuccedant, quod alioquin ne facerent, obligatio eorum minime ferebat. Vult igitur is, qui alterius gratia juri ſuo renuntiat, id tantum, ut hujus obligatio ſit ſoluta, non ut aliorum, & hinc jus ſuum tantum tolli vult, ut huic inde utilitas proveniat, non ut aliis.

§. XLIX.

Corolarium.

Iam igitur ponamus illud, quod manifeſto inde conſequitur, ut quoties quis alterius obligationem ſublatam eſſe velit, toties etiam juri ſuo renuntiet.

§. L.

Quomodo facultati renuntietur.

Ne vero illud oblivifcar, facultati ſuæ renuntiat, qui declarat velle ſe, ut facultas ſua ſublata ſit. Quæ cum tolli neque-

queat, nisi cum tollatur quoque vel saltim aliter determinetur licentia, in qua fundata est facultas is qui declarat, velle se, ut facultas sua sublata sit, vult quoque, ut licentia ista alia tollatur, vel aliter determinetur & sic etiam aliorum obligatio, quæ ad licentiam istam pertinet (§. XLV.)

§. LI.

Quomodo facultati renuntietur in alterius favorem.

Qui igitur renuntiat facultati suæ, ut hoc facto alius quisquam consequatur commoditatem, quam aliter, ne consequeretur, facultas nostra impediverat, facere hoc itidem dicitur in alterius favorem.

§. LII.

Corolarium.

Ponamus igitur jam etiam illud, quoties quis velit, obligationem aliorum, quæ licentiam respicit, per quam determinatur facultas nostra, sublatam vel aliter determinatam esse, vel etiam ipsam illam licentiam tolli aliterve determinari, toties eum facultati suæ renuntiare.

§. LIII.

§. LIII.

Quid ſit arbitrio ſuo renuntiare.

Arbitrio denique ſuo renuntiat, qui declarat, velle ſe, ut arbitrium ſuum ſublatum ſit. Idem igitur declarat, præſtiturum ſe poſtea ex obligatione quadam, quæ hucusque præſtitit non obligatus (XLVI.)

§. LIV.

Renuntiationes jure naturali licitæ ſunt.

Quod ſi jam diſquirendum veniat, an lex naturæ permittat, ut juri noſtro, arbitrio facultative renuntiemus, videndum eſt, an eadem lex ſignificet, ſe hæc non prohibere (§. IV.) Sejungamus igitur jam omnem internam obligationem & ſpectabimus illud, nos ſic nihil committere contra officia, quæ aliis debemus. Cum igitur lex naturæ vetet, ut eum turbemus, qui nihil contra ea, quæ nobis debet, facit, ſignificat nobis hoc facto, ſe alium non prohibere, ſaltim ut nos propterea eum turbare nequeamus, quanquam illi ipſi, qui renunciat, vix ſignificet, ſe id non prohibere, ſi obligatio ejus interna aliud ſuadeat.

§. XV.

Renunciationes jure civili licitæ.

Rerum publicarum & civilium societatum indolem si reputando tecum examinaveris, quam (§. VII.) Exposuimus, facili negotio inde colliges, licere in hac hominum communitate, ut juri, arbitrio, facultative tuæ renunties etiam in alterius favorem, nisi quatenus aliorum quoddam incommodum inde damnumque existat. Sic enim committeres contra officia aliis debita, ad quæ tamen exequenda denuo in Rep. obligaris (§. VII.)

§. LVI.

Quid sit accipere.

Accipere quid, seu malis acceptare, nihil aliud est, quam declarare, se ex alterius quodam facto utilitates suas amplificaturum. Sic donationem ab altero factam accipit, qui declarat, se ex hac facta alterius donatione utilitates suas amplificaturum. Accipit itaque renuntiationem ab alio quoquam in sui favorem factam, qui declarat, se ex hoc alterius facto usum esse percepturum.

§. LVII.

Hoc licere.

Sua-

Suadet naturalis obligatio, ut utilitatem noſtram quocunque modo promoveamus. Jam hujus obligationis vim ſejunge, & illud tamen elucebit, legem naturæ ſaltim id hoc modo ſignificare, ſe non prohibere nos, ne hoc faciamus, aliosque homines, quorum nullum inde damnum enaſcitur, nos minime impedire poſſe, propterea quod nihil hic à nobis contra officia ipſis debita committatur. Cum igitur hoc liceat, imo injunctum ſit obligatione quadam interna, licebit etiam hoc in civilibus hominum cœtibus (§. VII.)

§. LVIII.

Renuntiatio & acceptio conſtituunt pactum.

Qui declarat, ſe alterius gratia quid facturum vel non facturum, is promittit. Vides hoc modo, ſiquis acceperit renuntiationem in ſui favorem factam, duorum hic promiſſionem in ſe mutuò fundatam adeſſe & conſenſum in idem, quod vocant, placitum. Etenim renuntians declarat, velle ſe, ut jus ſuum vel etiam facultas & arbitrium ſublatum ſit, ſi tu utilitatem inde capturus ſis, tu, qui accipis, declaras, velle te capturum,

ſi is renuntiet. Sic igitur adeſt pactum inter renuntiantem & accipientem initum. Quoniam igitur pacta ſervanda eſſe, quatenus alterius partis intereſt, neque hoc modo contra alios quid committitur, tam naturalia, quam civilia jura dictitant, ſic cum inprimis accipientis intereſſe ſoleat, is qui renuntiat, impleat promiſſum, nec poſtmodum illo jure, facultate vel arbitrio utatur, ſed potius illud exſtinctum exiſtimet.

§. LIX.

Adplicatur hæc doctrina ad ſocietates.

Communitates quasdam vel ſocietates, ſi ad alios homines referantur, tanquam morale quoddam unum conſiderari, & ſi determinatis quibusdam juribus fruantur, perſonarum inſtar haberi, ſatis quidem cognitum eſt. Unde ſocietates iſtæ vocantur perſonæ myſticæ. Dubium igitur non eſt, quin univerſitates etiam vel communitates juri ſuo atque etiam facultati & arbitrio renuntiare poſſint in alterius favorem, quo facto, ſi is hoc accipiat, eodem modo pactum inter eos initum ſit, uti hoc fieri diximus in aliis perſonis, cum adfirmandi ratio eadem occurrat.

§. LX.

§. LX.

Quid ſit renuntiatio tacita & acceptio tacita.

Declarare voluntatem ſuam tam renunciantem, quam accipientem, eſt quod in definitionibus ipſis expoſuimus (§. XLVI. LIV.) Quamobrem cum voluntas tam verbis declarari poſſit, quam factis, efficitur inde, ut juri ſuo etiam & arbitrio facultative renuntiet, qui factis declarat, velle ſe, ut ea ſublata ſint, quem tacite renuntiare dicimus (§. XXII.) Contra etiam accipiat tacite, qui alterius ſe renuntiationem in uſus ſuos converſurum eſſe, factis ſignificat.

§. LXI.

Adplicatio ad ſocietates.

Ac quoniam in renuntiatione jurium, facultatum & arbitrii ſocietates eandem poteſtatem, quam ſinguli, habent, (§. LVII.) Societates etiam & communitates juri, facultati atque arbitrio ſuo in alterius cujuspiam favorem tacite renuntiare poſſe, ſatis perſpicuum eſt.

§. LXII.

Quid ſit actum contrarium juri vel facultati admittere.

Contraria ſunt, quorum uno poſito

 ſub-

ſubvertitur alterum. Qui igitur facit, quod obligatio ipſius prohibet, *is obligationi ſuæ contrarium quid committit.* Fac enim ei ſic agere licere, & ſublata erit hoc modo obligatio, quæ id prohibuerat. Quod ſi itaque in ea obligatione fundata fuerit licentia quædam alterius, *actum ſic contrarium hujus juri ſuſcipit* (§. XII.) Pariter facultati noſtræ actum contrarium ſuſcipit, qui facit id, quo poſito facultas noſtra ſubvertitur. Ea vero ſubvertitur, ſi obligatio aliorum ad licentiam, in qua fundatur facultas, adcommodata, ita determinetur, ut poſtea ad hanc quoque non pertineat. (§. XLV.) Qui igitur facit, quod ei non liceret, niſi obligatio ipſius ad facultatem noſtram amplius non pertineret, *is actum facultati contrarium ſuſcipit noſtræ. Admittit itaque actum contrarium juri vel facultati ſuæ*, qui eum ab alio quoquam ſuſcipi lubens concedit.

§. LXIII.

De renuntiatione juris per actum contrarium admiſſum.

Qui actum contrarium juri ſuo admittit, is ei tacite renuntiat in alterius fa-

vorem, alter id accipit. Ac illud qui-
m ad probandum facillimum eſt. E-
nim quæ lubens quis concedat, ea ip-
m ſignificare, velle ſeſe, manifeſtum
. Qui igitur contrarium juri ſuo a-
um admittit, velle ſe, ſignificat, ut
us quid agat, quo poſito ejus obliga-
ſubvertitur (§. LXII.) Vult igitur
em, quod neceſſario ſic conſequitur
alterius obligatio ſubverſa ſit. Jam
ro qui ſubverſam alterius obligatio-
m eſſe vult, is juri ſuo renuntiat
. XLIX.) Qui igitur actum contra-
m juri ſuo admittit, is hoc facto juri
renuntiat. Et cum, alterius ſic ſub-
a obligatione, is non impediatur am-
us commoditatem capere antea non
nceſſam, qui contrarium juri ſuo a-
m admitit, renuntiat juri ſuo in al-
ius favorem (§. XLVIII.) qui dum
contrarium hunc actum ſe utilita-
inde ſuas amplificaturum ſignificat,
quoque renuntiationem hanc in ipſi-
favorem factam accipit. (§. LVI. LX.)
nendum hoc loco illud eſt, nos, cum
iis, quæ de renuntiatione tacita ex-
ſuimus, ſolam ſecuti fuerimus rati-
em, ita ſejungere adhuc Romana ci-

 vi-

viliaque jura, quæ quid in ea re ſtatu erint, infra (§, LXXXIII.) ſimul exponemus. Unde quæ poſtea contrarii actus admiſſi exempla adducemus (§. LXVII. LXVIII. LXXIV.) in iis decidendis ſolam rationem ſecuti ſumus, ſepoſito adhuc civili jure.

§. LXIV.

De Renuntiatione facultatis per actum contrarium admiſſum.

Qui actum facultati ſuæ contrarium admittit, is ei tacite renuntiat in alterius favorem, is accipit. Nam qui facultati ſuæ contrarium actum admittit, is alium lubens id concedit facere, quo poſito ejus ſic obligatio minime facultati noſtræ adcommodata erit, (§. LXII.) ideoque cum contraria ſimul velle nequeat, vult ille ipſe, ut alterius in poſterum obligatio ad ejus facultatem minime pertineat. At qui hoc vult facultati ſuæ renuntiat. (§. LII,) Hoc igitur modo cum amplius obligatus alter non ſit, poteſt non invita lege utilitatem ipſi antea neutiquam conceſſam capere, unde ea in alterius favorem fit renuntiatio. (§. LI.) Ac idem quoque hoc ipſo facto dum utilitatem ſic adeptu-

oturum sese significat, tacite id accipit. (§. LX.) Subeant velim, hoc quoque loco memoriam, quæ supra (§. XIV.) de facultate juris nomen induente tradidi. Atque hinc est, quod res quoque meræ facultatis intercidant admisso contrario actu, quoniam eæ in facultatis exercitio ponuntur (§. XIII.) Quanquam hoc itidem loco monendus es, lector, nos hic minime adhuc spectare ea, quæ jus Romanum civile in hac re constituerit. Solum jus naturæ, quod ex rationis principiis deducitur, hic respicimus. Quæ igitur infra (§. LXVII. LXVIII. & LXXIV.) Adducemus, ea quoque non spectant Romanorum jus, sed solam rationem.

§. LXV.

Adplicatur ad societates.

Societates non uno homine, sed multis continentur. Quod si igitur omnes, quibus ea communitas societasque continetur, actum juri facultative suæ contrarium admittant, socii quidem omnes, & sic tota societas juri facultative suæ renuntiat in alterius favorem, isque hoc accipit. Atque ea quidem ratione socius quoque in re communi jus

quoddam peculiare præ reliquis sociis adquirere potest, si ii admittant contrarium societati áctum. Quodsi igitur ita sit societas inter quosdam communioque inita, ut res communis ad communem omnium sociorum usum, non vero singulorum pertineat, quatenus ii non intelliguntur in societate existere, obligantur socii omnes, ut ne ad separatum usum suum extra societatem ea re utantut. Quod si itaque nihilosecius utuntur quidam, obligationi suæ & reliquorum juri contrarium actum suscipiunt, quem illi admittunt, si id fieri non ignorantes neque impediti, sed lubentes plane concedant, (§. LXII.) atque ita reliqui socii juri suo renuntiant, hi quidem accipiunt.

§. LXVI.

Monitum.

Qui ignorat, alterum juri suo contrarium actum suscepisse, vel id cohibere aliis ex causis non potest, is actum contrarium juri suo facultative non admittit, ideoque nec tacite ei renuntiat. Nam qui admittit contrarium actum, is eum suscipi lubens concedere debet, (§. LXII.) & sic declarat voluntatem su-

ſuam. At neque velle poteſt, neque nolle, quæ ignorat animus, ideòque ob hunc contrarium actum juri ſuo facultative is non renuntiat. Qui vero non poteſt aliis ex cauſis impeditus cohibere eum, qui actum ſuo juri vel facultati contrarium peragit, is eum fieri non concedit lubens ſed invitus, ideoque ob eam cauſam licentiæ ſuæ non renuntiat.

§. LXVII.

De renuntiatione ob exercitium alienum.

Si alium quemquam id juris facultatisve exercere, lubens concedas, quod alioquin ne exerceret, obligatio ejus tui gratia introducta impediit, juri facultative tuæ in ejus favorem tacite renuntias isque hoc accipit. Dum enim lubens ſic concedis, ut faciat alter, quod prohibuit ejus obligatio, actum contrarium juri facultative tuæ admittis, (§. LXII.) ideòque iis renuntias in alterius favorem, alter id accipit (§. LXIII. LXIV.) Sic ſi dominium rei tuæ ab alio exerceri, lubens concedas, permittis, ut is faciat, quæ obligationi ipſius repugnant, ideòque ſic dominio tuo in ejus favorem renuntias, is accipit. Eodem

dem modo si ut alius in fundo tuo pecus pascatur, lubens concedas, quoniam id cum obligatione ejus, quæ ad hanc facultatem tuam pertinet, manifeste pugnat, renuncias huic facultati tuæ in ejus favorem, isque id accipit.

§. LXVIII.

De renuntiatione ob alterius prohibitionem & subsecutam adquiescentiam.

Si, cum te prohibeat alter, ne jure facultateve tua in ipsius commodum utaris, tu jam in ejus commodum non utaris, sed adquiescas, admittis contrarium juri tuo vel facultati actum, atque ideò eis renuntias in alterius favorem, ac is quidem id accipit. Etenim si jus facultasve tibi est, alter ad concedendam hanc tibi utilitatem obligatus est (§. XII. XIV.) Quod si igitur prohibeat, non concedit id, quod ejus obligatio jubet, sed potius facit, quæ ea prohibet, & quibus concessis ipsius obligatio sublata erit, nec amplius seu juri, seu facultati tuæ adcommodata. Quamobrem si tu id concedas lubens, actum contrarium juri facultative tuæ admittis (§. LXII.) atque idcirco iis in prohibentis favorem

rem

rem tacite renuntias, isque accipientis vicem ſuſtinet. (§. LXIII. LXIV.)

§. LXIX.

Monitum.

Non opus forſitan eſt, ut moneam, cum ignorans & impeditus non admittere dicatur actum licentiæ ſuæ contrarium, (§. LXVI.) ſic quoque in iis exemplis, quæ (§. LXVII. LXVIII.) adduximus, ignorantis & impediti non eſſe renuntiationem tacitam.

§. LXX.

Adplicatio ad ſocietates.

Neque etiam opus erit, ut adjiciam, eadem obtinere, ſi omnes ex ſocietate quadam patiantur, alium id juris facultatisve exercere, quod ad eos tantum pertinet, vel ſi ſocii omnes adquieſcant, prohibente alio, neque tum jure facultateve ſua utantur.

§. LXXI.

Quæſtio de non uſu.

Ac hoc inprimis loco quæſtio incidit, an etiam omiſſo tantum exercitio juris tui, quem non uſum vocant, tacite juri tuo in alterius cujusquam favorem renunties, isque ſic accipiat.

§. LXXII.

§. LXXII.

Quid in ea decidenda respiciendum.

In qua quæstione primum illud quidem videndum est, utrum sic commoditatem percipiat, vel possit percipere alius, an minus. Quod si igitur nulla sic obvenire possit alteri commoditas, facile patet, deficere hoc loco renuntiationem in ejus favorem, deficere quoq; ejusdem acceptionem (§.XLVIII.LVI.) si plane non significaverit alter, se utilitatem inde percepturum. Hinc si aquæ alterius per fundum ducendæ jus tibi sit, tuque ad eam ducendam tubulos in alieno fundo abditos habeas, quam diu hoc habebis, quamvis re ipsa non ducas aquam, nihil ex facti hujus intermissione ad ejus utilitatem redit, neque redire potest, cui istius fundi dominium est. Et sic neque tu hoc facto in ejus favorem juri tuo renuntias, neque is accipit. Ac ea quidem etiam in Romani juris doctrina adplicantur, cum de remissione servitutum, quæ fit non utendo agitur, quamvis hoc acceptionem negligat. Unde id requirit, ut alter libertatem usuceperit, ideòque si præsertim in urbanorum prædiorum servitu-

tibus

tibus opus exſtructum ſit, illud prius deſtructum ſit.

§. LXXIII.

Quid amplius reſpiciendum.

Tum in eadem quæſtione merito diſtinguenda eſſe duo tempora, arbitror. Commoditas enim, quam ſentit alius, vel plane repugnat obligationi ejus, ut, ea poſita, obligatio hæc corruat, quemadmodum ſi quid faciat, quod obligatio ipſius cohibuit; vel ita comparata eſt, ut, ea poſita, non ſtatim ſubvertatur alterius obligatio, ſed adhuc dum intelligi queat. Hinc duæ diverſæ quidem regulæ ex rationis principiis profluunt.

§. LXXIV.

Regula I. de non uſu.

Si jure facultateve tua non utaris, ut alii ſic obveniat utilitas, quæ plane obligationi ejus, juri facultative noſtræ adcommodatæ, repugnat, tum ſi neque id ignoraveris, neque ex aliis cauſis impeditus fueris, actum contrarium juri facultative tuæ admittis, (§. LXII.) ideoque iis ſic tacite renuntias in alterius favorem, hic accipit. (§. LXIII. LXIV.) Sic ſi cui jus eſt prohibendi, ne quid faciat alter in ſuo fundo v. g. ne luminibus officiat, ſi,

ſi, cum is luminibus officit, non utitur jure ſuo prohibendi, tacite is quidem juri ſuo renuntiat, ille accipit.

§. LXXV.

Regula II. de non uſu.

Qui ſignificat, velle ſe jus ſuum, vel aliorum obligationem ſublatam eſſe, is juri ſuo renuntiat. (§. XLVII.) Adeſt itaque in renuntiatione ſignum aliquod voluntatis noſtræ, quo aliis declaramus, velle nos, ſublatam eſſe eorum obligationem. Nam ſibi ipſi nemo voluntatem ſuam ſignificare voluerit. Quod ſi itaque factum aliquod ita comparatum ſit, ut illico propterea judicare ſoleant alii, velle nos eorum obligationem ſublatam eſſe, tum ſignificamus iis, id nos velle, & ſic renuntiamus eorum gratia juri noſtro. Jam vero ſi diuturno temporis ſpatio, quo vel ſemper uti potueris jure tuo, vel ejus utendi ſæpiſſime occaſio adfuerit, non utaris jure tuo, cum neque ignorans fueris, neque impeditus, neque aliam majorem ſemper conſequendam utilitatem habueris & ſic aliis commoditas obvenit, quæ non obveniſſet, ſi jure tuo uſus fuiſſes, tum ſane ii judicabunt omnes, feciſſe

te

te id propterea, ut iis ſignificares, velle te eorum obligationem prorſus ſublatam eſſe. Nam etſi quis exiſtimaret, te ſocordia quadam neglexiſſe jus tuum, nemo tamen id exiſtimabit, ſi diuturno temporis ſpatio & ſæpiſſime occaſione data ea ratione, uti dixi, neglexeris. Significas igitur hoc modo aliis, velle te, eorum obligationem ſublatam eſſe, atque ita in eorum favorem juri tuo renuntias, ii, quibus ſic commoditas obvenit, accipiunt. Ut exemplo rem declarem, fingam, jus tibi eſſe paſcendi in alieno agro. Dum igitur neque id ignoras, neque aliundé impeditus, neque etiam majoris ſemper utilitatis conſequendæ gratia, jure hoc tuo non uteris per diuturum quoddam temporis ſpatium, renuntias ei in alterius favorem, ac ille quidem, qui fundo ſuo libere utitur, id accipit. Caveas tamen hoc quoque loco ne exiſtimes, Romanarum legum jam rationem â me haberi. Potius hæc tantum ſecundum naturale jus, omnibus notum, examinavimus. Videbis infra, (§. LXXXIII.) ſecundum jus Romanum ſufficere, ſi propterea quod quis jure ſuo uſus non

ſit, commoditas ad alium pervenire poſſit, & ſic fingi à lege alterius adceptionem.

§. LXXVI.

Facultati non utendo haud renunciatur, neque etiam juribus regalibus.

Facultati ſive rebus meræ facultatis non utendo haud renuntias, quamdiu ea facultas juris nomen non induit. (§. XIV.) Etenim facultas determinatur per aliam quandam licentiam, (§.XIII.) quam ſi quis ſublatam velit, vel ita comparatam, ut per eam non amplius determinetur facultas, tum demum ei renuntiat, (§. L.) Quo facto itidem alia quædam licentia in prioris locum ſubſtituitur (§. XLVI.) Quamvis itaque quantumvis longiſſimo temporis ſpatio non utaris facultate tua, nullo tamen modo ſic ſignificas, velle te, ſublatam eſſe aliam iſtam licentiam, ex qua facultatis tuæ ratio petitur, neque etiam ſignificas, velle te aliam in ejus locum ſubſtitui, potius ea licentia adhuc penes te eſt, (§. XIII.) alioquin enim non eſſet facultas. Et quamvis in facultate, quæ juris nomen non induit, non reſpiciatur alterius obligatio, ut ra-

ratio facultatis nostræ ex ea desumatur, (§. XIV.) neque tamen propterea tollitur, quin potius integra semper manet, manet quoque eodem modo, uti quidem antea, licentiæ isti adcommodata, per quam facultas nostra determinatur, quia in ejus licentiæ locum alia non substituta est. Ac ita quidem cui dominium alicujus sylvæ est, ei ob illam quoque causam licet, arbores ex ea cædere. Ea licentia determinatur per jus dominii atque ita per aliam licentiam, estque hac ratione facultas, id ipsum vero, ut arbores cædas, res meræ facultatis. (§. XIII.) Etsi igitur hoc neglexeris, quantumvis longissimo temporis spatio, nullo tamen modo sic significas, velle te, dominium tuum tolli, aliudve jus in ejus locum substitui, & hinc non utendo facultati tuæ non renuntias. Venit inde, ut *res meræ facultatis* â Ictis *impræscriptibiles* vocentur, quæ nullo quidem temporis spatio præscribantur. Corollarii loco hic adiicimus, quoniam quoque jura in facultatibus, eorumque exercitium in rebus meræ facultatis habeatur, si ab eo exerceantur, in quo majestas residet, (§. XL.) iis quoque

ob intermiſſum eorum uſum non renuntiari, adeoque eorum quoque exercitium eſſe impræſcriptibile.

§. LXXVII.

Doctrinæ de non uſu adplicatio ad ſocietates.

Univerſitates ſive perſonas compoſitas tacite quoque juri ſuo facultative in alterius favorem renuntiare poſſe, (§. LIX.) adnotavimus. Cum igitur facultati non renuncietur per intermiſſum exercitium, quando ea facultas juris naturam non adſumſerit,(§.LXXVI.) ſocietates quoque facultati ſuæ meræ non utendo haud renuntiant. Nam quod de omiſſo facultatis vel juris exercitio diximus, ſi alter obligationi ſuæ contrarium quid faciat, (§. LXXIV.) id eodem modo ad ſocietates pertinebit, quo pertinet contrarii actus admiſſio. (§. LXV.) In reliqua vero quæſtionis hujus de non uſu parte videndum illud erit, utrum jus iſtud data occaſione ab univerſa ſocietate, an â ſingulis tantum ſociis exercendum ſit, quamvis id competat univerſæ ſocietati. Quod ſi igitur ab univerſa ſocietate id exercendum ſit, eaque diuturno quodam temporis ſpatio

tio

tio, quo vel ſemper adfuit, vel ſæpius occaſio data fuit utendi juris, id ſemper negligat, neq; eo utatur, tum omnino etjam renuntiabit huic juri ſuo in ejus fravorem, qui alioquin ſocietatis hujus gratia obligatus fuit, niſi ignorantia & impedimenta aliud ſignificent, isque id accipit. (§. LXXV.) Sin autem â ſingulis tantum ſociis id juris exerceatur, quamvis competat univerſæ ſocietati, tum id â ſingulis exerceri poteſt, propterea quod membra ſunt ſocietatis, cui jus hoc eſt, & ſic eorum licentia determinatur per aliam, qua licet iis, ſocietatis hujus membra eo ipſo temporis momento eſſe, eſtque propterea, ratione ſingulorum habita, facultas, ejusque exercitium res meræ facultatis. (§. XIII.) Hinc ſingulorum non uſus ei nullum jus tribuit, in cujus obligatione univerſæ ſocietatis jus fundatur. (§. LXXVI.) Nihilo tamen ſecius, quoniam omnes ſocii conſtituunt illam ſocietatem, ſi diuturno temporis ſpatio, quo ſæpius ſingulis tantum non omnibus occaſio juris hujus utendi data fuit, nemo eorum jure hoc uſus ſit, tum omnes quidem ſocii ſignificant, velle ſe, alterius obliga-

tionem ſublatam eſſe, atque ita quoque univerſa ſocietas, neglecto hac ratione jure ſuo, ei renuntiat in alterius favorem, isque id accipit (§. LXXV.) Nam de univerſa ſocietate id jus adpellandum, non facultas. Qua in cauſa tamen, ſi magna quædam ſit ſocietas, pro re nata optimum erit, ſi tempus, quo nemo ſociorum hoc jure uſus ſit, hominis memoriam exedat. Exemplum habebis infra in Capite tertio.

§. LXXVIII. *Quid ſit libertas.*

Contingit vero interdum, ut utilitatem lege permiſſam non una via conſequi liceat. Atque tunc ſane eligendi apud te poteſtas eſt, quo potiſſimum jure ad commoditatem tibi adquirendam uti malis. Aliter enim ratio nulla adeſt, cur â lege plures fuerint tibi viæ permiſſæ. Sic, ut exemplum adducam, licet tibi, quod ex iniqua Judicis ſententia damnum imminet, avertere. Eam ob cauſam ſuppeditant tibi leges varia remedia; permittunt enim, ut adpelles, permittunt, ut leuteres, vel aliis locis ut ſupplices. Quo facto utendi quo maxime commode viſum fuerit remedio, poteſtatem habes. Liceat igitur hoc eligendi jus vocare *libertatem.*

§. LXXIX.

Quomodo libertati renuntietur per non usum.

Quod si igitur libertas tibi sit, tuque alterutro jure utaris, eam ob rem non renuntias alteri, quo jam non uteris, ita quidem, ut eo postea uti integrum tibi sit, si quam quæsivisti utilitatem sic non perceperis, vel aliquando similis causa existat. Jus enim eligendi, quod in libertate est (§. LXXVIII.) id quidem satis clare commonstrat, fieri non posse ut utroque jure simul utaris. Opus igitur est, ut postquam nullo alio remedio utilitatem tuam consequi potueris, hoc etiam, de quo quæritur, ita neglexeris neque ignorans, neque impeditus, uti de intermisso juris cujusdam usu dixi. (§. LXXV.) Nam sic demum plane inanem aliorum vis esse obligationem. Ac id quidem de societatibus eodem modo dici potest, ac de singulis, si eodem modo omnes socii alterutro jure non utantur. Quod declarabimus infra exemplo quodam in Capite de jure de non adpellando.

§. LXXX.

Quis tacite renuntiet arbitrio.

Quoniam, quæ sibi repugnant, nemo simul velle potest, is quoque renuntiabit arbitrio suo, qui eam capere utilitatem alios concedit, dum iis quid præstat, quam habere non possent, nisi hujus obligatio adesset, quæ ipsum ad præstandum impelleret (§. LIII.)

§. LXXXI.

In rebus meri arbitrii factum nostrum nemini jus tribuit.

Dum ex arbitrio alteri quid præstamus, arbitrio nostro non renuntiamus. Quod si enim sic arbitrio tacite renuntiares, alius utilitatem consequeretur, quam nisi tu obligatus esses, capere omnino non posset. (§. LXXX.) At si cui ex arbitrio quid præstas, alius quam capit commoditatem, potest capere, capitque, quamvis tu plane ad id præstandum obligatus non sis. Atque inde res meri arbitrii facto nostro nemini jus tribuunt, quamvis hoc modo per diuturnum temporis spatium alteri quid præstiteris. Sic si quantumvis longissimo temporis spatio â Titio potissimum vina emeris, quoniam hæc res meri arbitrii est, eaque commoditas, quam hac ratione sensit Titius, ei obvenire po-

potuit ſine ulla obligatione tua, arbitrio tuo hoc facto non renuntias. Intelliges hoc facto, quid ſibi velint viri docti, qui res meræ facultatis, quibus adnumerarunt res meri arbitrii, definentes, adjiciunt, in iis *nec poſſeſſionem alienam nocere*, quod cave ad res meræ facultatis omnino transferas.

§. LXXXII.

Quando in iis factum noſtrum alteri jus tribuat.

Aliter ſe res habet, ſi alter hoc ſuo jure â te exigere cœperit, tuque ſic poſt hanc ejus coactionem idem præſtiteris. Cum enim jus in aliorum obligatione ſit fundatum, (§. XII.) tuque ei ſic concedas, ut eam utilitatem ſentiat, quam niſi tu ad id præſtandum obligatus eſſes, ſentire non poſſet, tacite arbitrio tuo renuntias, (§. LXXIX.) is qui id emolumentum conſequitur, accipit.

§. LXXXIII.

De Præſcriptione Jurium ex Romano jure.

Quod ſi ea, quæ jam expoſui, uſu adplicare velis, non negandum, ignorantiam inprimis & impedimenta multum ſæpiſſime in cauſis dijudicandis difficul-

tatis facessere, ideòque consultissimum est, ut ea res â legibus civilibus generali quadam regula determinetur distinctius. Jus Romanum in præscribendis juribus facultatibusque non eandem servat rationem, quamvis res meræ facultatis, nec Juris Romani præscriptioni obnoxiæ sint, quamdiu facultas juris nomen non adsumsit. Generatim illud tenendum est, Romanos certum quoddam temporis spatium definiisse, quo præterlapso juri quis suo renuntiasse videretur, si eo non usus sit. Cujus quidem rei ratio vix alia fuit, quam ne commerciorum usus turbaretur, omniaque, summo Reip. malo, etiam quamvis maximo temporis spatio incerta essent. Unde cum res mobiles magis ad commercia usumque vitæ necessariæ sint, quam res immobiles, statuerunt Romana jura, ut si rem mobilem bona fide & justo titulo accepisses & per triennium possedisses, tum eam usucepisses. Moneo hoc loco, propositurum me esse novissimum Jus Romanum, non illud antiquum. Deinde cum ob commerciorum usum inprimis etiam favendum esset ei, qui bona fide justoque titulo rem

rem ſive jus adquiſiverit, ac jam per longum quoddam temporis ſpatium poſſederit, cautum eſt hoc jure, ut ſic in rebus immobilibus juribusque poſſeſſio decem annorum vero etiam domino, qui tecum non contraxerit, ſi modo is non abſens fuerit, noceret abſenti vero viginti annorum. Lex in iis cauſis conjecit, renuntiationem tacitam adeſſe, atque ita poſſidentem ab onere id probandi liberavit. Quod ſi igitur in ignorantia verſatus fueris tuque hoc probare volueris, cum hoc facto non adſit renuntiatio tacita, uti jam ſæpius adnotavi, ſubveniendum tibi eſſe contra eam præſcriptionem, Nov. 119. C. 7. & Auth. Malæ Fidei C. de Præſcr. ſtatuit. Actio quoque reſciſſoria, quam Prætor dedit ei, quo abſente res uſucapta eſſet, id docet, juſta impedimenta excluſa non fuiſſe, utpote quæ, quod ſæpius monui, tacitam renuntiationem non conſtituunt. Idem decennii, vel inter abſentes vicennii ſpatium ſufficere voluerunt Romana jura in omiſſo exercitio eorum jurium, quæ aliorum quandam facultatem impediunt, quod in ſervitutibus occurrit, ac id quidem for-

fortaſſis propterea, quod ſic potius reſtituatur alteri jus, quod jam in dominio ejus fundatum erat, quam novum tribuatur, qua quidem in re, quod jam (§.LXXII.) notavimus, alius quoque libertatem uſucapiat, oportet. Quod ſi vero quis titulo quidem deſtituatur, bona tamen in fide conſtitutus, cœperit poſſidere rem, eamque poſſederit per XXX. annorum ſpatium, tum plane alterius renuntiationem adeſſe, finxit, ut nec ei ignorantiam, nec impedimenta amplius allegare integrum ſit. Qua in re Jus Canonicum id adjecit, ut poſſidens ſemper in bona fide & opinione dominii fuerit. Ac idem temporis ſpatium ſufficere voluerunt Romana jura ſi quis neglexerit, lucrum ab alio repetere, quod ei vel ex vero, vel quaſi ex contractu deberetur. Cum etiam facultas juris nomen induat eiq; tacite in alterius favorem renuncietur admiſſo contrario actu, (§.LXIV.) idem quoque temporis ſpatium ad ea pertinet, quæ res meræ facultatis vocantur, quoties contrarius iis actus admiſſus eſt. Exemplum adeſt in ſervitutibus, in quibus ſemper facultati cuidam, quæ

per

per dominii jus determinatur, in alterius favorem renuntiatur, admisso contrario actu, dum nimirum vel prohibet nos alter, ne facultate nostra utamur, vel idem hanc plane exercet, quod tamen obligatio ejus cohibuerat. Conferas hoc loco, quæ supra (§. LXVII. LXVIII.) dixi. Unde sic secundum hoc Romanorum jus omnes facultates, si alter contrarium iis actum susceperit, tuq; id concesseris per XXX. annorum spatium, præscribuntur, quod recte contra Bachovium notatur. In rebus meri arbitrii vero non opus esse arbitror, ut XXX. annorum spatium intercesserit. Præscriptio enim inprimis ob id introducta est, ut ne objicere possit alter, se ignorantem vel impeditum omisisse juris sui exercitium. At qui scit, alium in jure suo exigere & sic post ejus coactionem, idem præstat, is plane arbitrio suo renuntiat (§. LXXXII.) Impedimenta enim adesse dicuntur, si non in potestate nostra est, ut quid faciamus, non vero si id facimus, & sic quidem adesse possunt, cum quid omittimus, non, si id exequimur. Quod si tamen ab eo, qui cogendi potestatem habet,

quis

quis coactus fuerit, tum merito quoq; idem XXX. annorum ſpatium ei indulgendum erit, ut Judicis adeundi copiam habere poſſit.

§. LXXXIV.

Quid ſit privilegium.

Si quando communis regula, ad quam pœnæ vel jura referuntur omnium civium, in perſona quadam aliter determinetur, tunc privilegium adeſſe dicitur. *Privilegium* igitur eſt alia determinatio communis regulæ ad certam quandam perſonam. v. g. Communis regula, ad quam furum pœna refertur, ita fert, ut is laqueo vitam finiat. Quod ſi igitur ea regula in quodam fure aliter determinetur, ut majori ſupplicio adficiatur, id privilegii eſt. Sic ex communi regula à tributis & collectis ſubditorum nemo immunis eſt. Siquidem igitur quidam civium immunis erit, privilegium vocamus,

§. LXXXV.

Quis ſit privilegiarius.

Is, ad quem hæc nova communis regulæ determinatio refertur, vocatur *privilegiarius*. Sic in adducto exemplo is, cui immunitas tribuitur eſt privilegiarius.

§. 86.

§. LXXXVI.

Quid ſit jus ſingulare.

Quod ſi circa ſpeciem quandam civium nova determinatio regulæ communis fiat, vocatur *jus ſingulare.* Hac quidem ratione ſi circa milites communis regula aliter determinetur, id eſt jus ſingulare, quia milites ſunt ſpecies quædam civium.

§. LXXXVII.

Quid ſit privilegium odioſum.

Quod ſi communis regula, ad quam pœnæ omnium civium referuntur, in uno quodam hoc modo aliter determinetur, ut gravius ei ſupplicium imponatur, quam lex delicto generatim dictitaverat, vocatur *privilegium odioſum.* Atque huc quidem pertinet exemplum, quod dedimus de fure (§. LXXXIV.)

§. LXXXVIII.

Quis privilegium odioſum ferat.

Pœnas eſſe modum obligandi, iis ſatis ſuperque notum eſt, qui, quæ in morali Philoſophia exponuntur, vel primoribus ſaltim labris deguſtarunt. Quo circa cum, quod ex Politices doctrina conſtat, obligare ſubditos in Rep. non poſſit, niſi is, penes quem ſumma impe-

pe-

perium adminiſtrandi poteſtas eſt, nemo etiam majorem obligationem introducere poteſt, niſi ſummus Reip. arbiter. Quod cum fiat in privilegio odioſo, neminem id, patet, ferre poſſe, quam illum ipſum, cui ſummum in civitate imperium eſt.

§. LXXXIX.

Quando id liceat.

Equidem ſecundum regulam non eſt acerbior infligenda pœna, quam quæ legibus antea ſtatuta erat. Pœna enim eſt modus obligandi, (§. LXXX.) hinc oportet, eam cum actione perpetranda connexam fuiſſe, ut hæc jam tunc, cum committeretur, rationem contineret, ob quam pœna iſta neceſſariò ſequeretur. (§. II.) Quæ vero in privilegio odioſo imprimitur pœna cum actione perpetranda nondum ſic connexa fuit. Veruntamen ſi ſalus Reip. id exigat, cui regulæ utpote majorem perfectionem conſervanti aliæ omnes cedunt, Principi etiam in civitate integrum eſt, intendere temporibus pœnam, & ſic privilegium odioſum ferre.

§. XC.

§. XC.

Quid ſit privilegium favorabile.

Sin regula communis, ad quam jura civium omnium referuntur, in uno quodam aliter determinetur, ita ut ei jus quoddam concedatur, quo alii cives ordinarie non gaudent, tunc privilegium favorabile vocatur. Eſt igitur *privilegium favorabile* conceſſio juris ſpecialis. Atque ejus quidem exemplum dedimus de immunitate â tributis (§. LXXXIV.)

§. XCI.

Quid ſit beneficium legis.

Si cui jus quoddam ad avertendum damnum concedatur, vocatur *beneficium legis.* Ac ea quidem ratione, quod fidejuſſori jus eſt, ut ne prius ſolvat, quam principalis debitor excuſſus ſit, vocatur beneficium excuſſionis. Eadem itaque ratione, ſi jus cuidam ſpeciale citra regulam communem concedatur ad avertendum damnum, privilegium hoc vocatur beneficium legis. Sic privilegium, quod mulieribus fidejubentibus ex Sc̄to Vellejano vel Auth. ſi qua mulier competit, & quod minores in integrum reſtituit, legis ſunt beneficia.

§. XCII.

Cur hic aliorum obligatio requiratur.

Quoniam in favorabili privilegio jus tibi conceditur, (§. XC.) omne jus vero per aliorum obligationem determinatur, (§. XII.) efficitur inde, ut, ſi privilegium favorabile dandum ſit, aliorum quædam obligatio adſit, ex qua rationem petas, cur id ſpecialiter, quod facis, facere tibi liceat.

§. XCIII.

Quomodo hæc ſtabiliri poſſit.

Quæ obligatio quemadmodum introduci poſſit, videbimus. Nimirum meritò hic diſtinguendum eſt, utrum ex iſtius ſpecialis juris exercitio ſolis civibus incommodum adferatur, an etiam ipſi civitatis rectori. Alia enim ratione ſtabiliri poteſt aliorum quædam obligatio, ſi tantum de eorum incommodo, alia ſi ipſius quoque Principis in civitate cauſa agatur.

§. XCIV.

Quando id fieri poſſit pacto cum civibus inito.

Quod ſi igitur ſola ſubditorum cauſa agatur, denuo hic adplicari poterit illud,

lud, quod jam ſupra (§. LIV. & LV.) expoſuimus. Nimirum licet unicuique in aliorum favorem juri facultatique atque ſic etiam commoditatibus, quæ iis conſequimur, renuntiare. Quamobrem licebit etiam civibus juri facultative ipſorum renuntiare in alterius cujus quam favorem, ut is hoc modo emolumentum habeat, quod obligatio ipſius hucusque impedierat, quod ſi faciant, isque id accipiat, pactum quoddam accipientem inter & reliquos cives naſcitur. (§. LVIII.) Quoniam igitur obligatus quoque civili jure eſt, ut ſervet promiſſum, qui fidem ſuam adſtrinxit, ſequitur, ut cives hoc pacto obligati ſint, ad id quod promiſerunt alteri, implendum, eique commodum, quod hoc facto conceſſerunt, non intercipiendum. Cum vero ſic exiſtat obligatio, quæ ſpecialem quandam licentiam determinet, aderit quoque jus ſpeciale (§. XCII.) & ſic aderit privilegium quoddam favorabile. (§. XC.) Exemplum hujus rei infra, cum de privilegio de non appellando acturi ſumus, proponemus.

§. XCV.

De adquisitione privilegii per non usum subditorum.

Ac ea quidem renuntiatio adceptioque tacite quoque inter eos fieri potest. Cum igitur, si omnes ex societate quadam non utantur jure suo occasione data, aliusque sic commodum percipiat, vel percepturum se significet, in cujus obligatione eorum jus fundatum est, omnes quoque ex societate, & sic tota societas juri facultative suæ renuntiet; (§. LXXVII.) eodem quoque modo privilegium subditi concedent, si ipsorum res agatur sola. Quanquam si non omnibus occasione data, sed tantum singulis uti liceat, ad omnium civium consensum inducendum, tempus sic immemoriale, quod vocant, adesse meritò debet. (§. LXXVII.) Cujus rei exemplum itidem intra in tractatione juris de non appellando proferemus.

§. XCVI.

Quomodo id alia ratione fiat.

Societates & universitates cum juri suo facultatique renuntient actum contrarium iis admittentes atque inprimis, si ad prohibitionem alterius adquiescant,

§. 65.

(§. LXV. LXX.) omnes etiam cives juri ſuo facultative tacite renuntiabunt in alterius favorem, ſi actum iis contrarium admittant, inprimis vero ejus prohibitionem. Conſtituitur igitur etiam hoc facto, quando ſola civium res agitur privilegium, cujus etiam infra exemplum adducemus, cum de Privilegio de non adpellando tractandi locus erit.

§. XCVII.

Quando Principis promiſſio adeſſe debeat.

Aliud omnino dicendum eſt, ſi non ſola civium res, ſed etiam Principis in civitate agatur. Nemo enim juri ſuo in alterius incommodum renuntiare poteſt. (§. LIV. LV.) Unde ſic pactum cum ſolis civibus initum non ſufficiet, ſed ipſius quoque Principis in civitate factum quoddam accedere, opus eſt, quo, ut alter jus hoc ſpeciale exerceat, ſe non prohibiturum ſignificet. Eodem plane modo ſi cives ſua ſponte juri facultative ſuæ in cujusdam favorem renuntiare nolint, non aliter eorum obligatio naſci poteſt, quam ſi civitatis moderator, cui obligandi cives poteſtas eſt, eos ut ſublatum exiſtiment jus ſuum fa-

cultatemve, obliget. Quod ſi igitur id facturum ſe ſignificet Princeps, promittit, paſſurum ſe, ut quis ſpeciale jus exerceat, aliosque ſimul, ſi opus eſt, ne in exercitio juris privilegiarium turbent, obligat. Ac ſic quidem adeſt conceſſio ſpecialis juris, adeſt privilegium. (§. XC.)

§. XCVIII.

Quando principi liceat, privilegia ferre.

Si de ſolo Principis in civitate commodo agatur, vel etiam ſubditi reliqui commodo ipſi renuntiare ſuo haud recuſent, licere hoc modo Principi privilegia ferre, intellectu eſt facillimum, cum ſuo quisque juri facultatique optime renuntiet. (§. LIV.) Si vero civibus jus quoddam facultasque vel plane adimenda, vel ejus uſus reſtringendus ſit, tunc ſane reſtinguendum eſſe arbitror, an hoc facto certum civibus lucrum intercipiatur, an incertum, & itidem, an certum illud lucrum plane adimatur, vel tantum differatur. Si differatur modo certum lucrum, vel ſi incertum intercipiatur, hoc facilius licere Principi, ſi id cum ſalute Reip. conſentiat, arbitror, ut pote cui pro ſalute Reip. omnia or-

ordinandi poteſtas eſt. Sin autem certum jam lucrum intercipiendum ſit, quod cuiquam debeatur, tunc ut maxime id exigat Reip. ſalus, oportet. Quo facto ea regula, quæ maximam in Rep. perfectionem conſervat, merito exceptionem parit, ut facere liceat, quod alias facere non licet. Solent hoc etiam obſervare Principes, ut, ſi privilegia concedant, non auferant civi cuidam certum lucrum, ſed vel id differant, vel in certum tantum lucrum adimant.

§. XCIX.

Quos limites jus conceſſum accipiat.

Verum dum concedit jus tibi Legislator ſpeciale, certos quoque cancellos deſignat, quos in exercendo eo jure neque in ipſius, neque in aliorum incommodum tranſilire, fas tibi ſit. Qui quidem vel in literis conceſſionis deſcribuntur, vel jam ex familiari juris conceſſi notione ſatis determinati ſunt. Promittit itaque is, qui privilegium concedit, paſſurum ſe, ut jus hoc modo limitatum exerceas (§. XCVII.)

§. C.

In privilegio adeſt pactum.

Promiſſio itaque privilegium dantis

refertur ad conditionem quandam, scilicet, ut tu limites tibi descriptos ne transgrediaris, ideòque perinde est, ac si tu, qui accipis promissum, te hos limites quoque exacte observaturum, promittas, neque vel in incommodum ipsius principis, vel aliorum transgressurum. Unde hac ratione pactum inter eum, qui fert privilegium, & eum, qui accipit, initur.

§. CI.

Quatenus in privilegio alii obligentur.

Patet quoque quatenus alii cives obligentur, ne privilegiarium in exercendo jure suo turbent, quatenus nimirum is exercet jus adquisitum intra limites ei descriptos. (XCIX.) Cum enim amplius non sit concessum jus, nec aliorum etiam amplius propterea adest obligatio.

§. CII.

De tacita privilegii concessione.

Quoniam Princeps, qui privilegium concedit, aliquid promittit, (§. XC VII.) promissio vero etiam tacite fieri potest (§. XXII.) sequitur, ut Princeps etiam tacite privilegium concedere possit.

§.CIII.

§. CIII.

Exemplum.

Quod si igitur Princeps si quis ei contradicat, ne jus suum in ipsum exerceat, adquiescat, neque data occasione exerceat, tunc sane cum actum contrarium juri suo admittat, renuntiat eidem in favorem alterius, isque id accipit, (§. LXVIII.) atque hoc modo tacita conventione jus huic speciale conceditur, (§. LVIII.) & sic privilegium fertur. Cujus rei exemplum infra cum de jure de non adpellando tractandi materies erit, adducetur.

§. CIV.

Aliud exemplum.

Hac etiam ratione si cognoverit Princeps, quendam prohibere alios cives, ne jure quodam vel facultate utantur in hujus gratiam, neque Princeps, si cognoverit, id contra aliorum civium voluntatem fieri, eum prohibeat, tacite sane significat, se eum non prohibiturum & sic privilegium concedit (§. XCVII.)

§. CV.

Exemplum tertium.

Eodem modo si cognoverit Princeps, quendam exercere jus, quod potius ad

ipsum pertinet, neque eum prohibeat, sic sane tacite in hujus gratiam juri facultative suæ renuntiat, isque accipit (§. LXVII.)

§. CVI.

Difficultates in hujus adplicatione.

Sed hujus inprimis postremi exempli ad speciales controversias adplicatio multis profecto gravibuspue premitur difficultatibus. Sane requiritur, ut te jus hoc exercere cognoverit, quod à te exercendum non sit. Sed qua ratione fieri potest, ut præsertim in magna hominum consociatione Princeps cognoverit, te jure hoc uti? At enim ministri hoc ad eum deferent. Sed quid si id ipsi non resciverint, quid si neglexerint incuria vel perfidia adducti, ea ad Principis aures perducere? Vides igitur hoc modo nondum id sequi, ut princeps ipse hoc cognoverit.

§. CVII.

Quid sit possessio immemorialis.

Si cui jus exercitum est tam diuturno temporis spatio, ut omnis memoria non suppeditet facti usus initium, tunc ultra memoriam id possedisse dicitur & ea *possessio* vocatur *immemorialis*.

§. CVIII.

§. CVIII.

Quæ verisimilitudo in ea adsit.

Quod si exercueris contra regulam communem jus tam diuturno temporis spatio, ut ejus exercitii initium omnem exedat memoriam, profecto verisimillimum est, eos, qui Principis in Rep. ministeria obeunt, id & cognovisse & detulisse ad Principem. Nulla enim species veri adest, mutatis eo tempore toties ministris, eos omnes id ignorasse, vel tam negligentes, non dicam, perfidos fuisse omnes, ut dominum ea de re suum certiorem non fecerint. Maxima vero verisimilitudo in rebus, quæ sunt hujus generis, pro veritate habenda est. Verisimillimum quoque est, ea de re olim expressum quoddam pactum cum eo, qui imperio præest, intervenisse.

§. CIX.

Quid ea verisimilitudo efficiat.

Quoniam igitur tanta verisimilitudo adest, quæ in rebus hujus generis pro veritate habenda, æquissimum est, ut cuique jus hoc modo possessum proprium maneat perpetuumque. Et hinc extraordinarium jus immemoriali tempo-

po-

pore possessum proprium cuique maneat, oportet.

§. CX.

Jura regalia â subditis ex privilegio exercentur.

Quoniam jura regalia ei demum ex regula competunt, cui summum in civitate imperium est, (§. XXXVI) nihilominus tamen possunt ex parte cum subjectis communicari, (§. XLI.) sequitur, eum, cui regale jus communicatum est, id exercere contra ordinem & regulam communem, atque idcirco ex privilegio (§. XC.)

§. CXI.

Jura regalia possessione immemoriali adquirenda.

Cum igitur privilegia immemoriali demum possessione adquiri, æquum sit, (§. CIX) regalia etiam jura tantum immemoriali possessione adquiri, fas est, si quis alium titulum præter possessionem non habeat.

§. CXII.

Etiam jure Germanico.

Ac jure quidem Germanico satis exploratum est, regalia jura â subditis posses-

ſeſſione adquiri non poſſe, niſi immemoriali.

§. CXIII.

Quid ſit privilegium gratioſum & oneroſum.

Si concedat privilegium tibi civitatis rector, ſolo favore in te ductus, vocatur *privilegium gratioſum.* Sin tribuat, pretio intercedente, vocatur *privilegium oneroſum.* Ac quoniam præclare meritis debentur â Rep. præmia, ideò habentur privilegia propter egregia in Remp. merita obtenta, ac ſi pretio quodam redemta fuerint, & ideò oneroſis adnumerantur.

§. CXIV.

Privilegia ſunt ſervanda.

Quoniam pacta naturali etiam jure ſunt ſervanda, meritò ſervanda quoque nec revocanda ſunt pro lubitu privilegia ſive gratioſa ſint, ſive oneroſa, quia in privilegiis favorabilibus ſemper adeſt pactum. (§. C.)

§. CXV.

Quando excptio locum habeat.

Sed incidit, ut cum hac regula juris naturalis pugnet alia, quæ ſalutem ac felicitatem Reip. ſupremam legem ponit

nit. Quoniam igitur in repugnantia regularum, ſi utraque ſervari nequeat, ea præferenda eſt, quæ majorem parit perfectionem, unusquisque ſane intelligit, poſteriorem ſic regulam meritò ante ponendam eſſe priori, ideòque non ſervanda eſſe, ſed potius revocanda privilegia, quæ ſalutem felicitatemque Reip. quodam pacto imminuunt.

§. CXVI.

Privilegia non ſunt extendenda.

Privilegium non eſt extendendum ad alium, cui id non eſt conceſſum. Conceditur enim privilegium promiſſione quadam Principis tuaque adceptione, ideòque pacto quodam conſtituitur (§. C.) Quocirca cum aliis nihil promiſſum ſit, alii quoque nihil ſic juris accipere poſſunt. Quod cum fieret, ſi ad alios extenderetur privilegium, quibus non indultum eſt, ſequitur, ut ad alios quoque extendi non debeat.

§. CXVII.

Quid ſit privilegium perſonale.

Si certo cuidam & determinato homini privilegium favorabile conceditur, vocatur *privilegium perſonale*.(§.XXXV.

§. 118

§. CXVIII.

Hoc inhæret personæ.

Cum privilegium perſonale certo cuidam & determinato homini conceſſum ſit (§. CXVII.) neque extendi unquam debeat privilegium ad alios, (§. CXVI.) ſequitur, ut privilegium perſonale ultra eum, cui datum eſt, non ſit extendendum. Et hinc eſt, quod JCtorum ſchola ait, privilegium perſonale *inhærere quaſi oſſibus privilegiarii.*

§. CXIX.

Id exſtinguitur cum perſona.

Idcirco jam facillimum eſt intellectu, quare privilegium perſonale non diutius vigeat, quam perſona, cui datum eſt, viventium numero exiſtat, ſed potius ea exſtincta exſtinguatur. Aliter enim extenderetur privilegium ad alios, quibus non eſt conceſſum.

§. CXX.

Quid ſit privilegium mixtum.

Si privilegium ad te tuosque hæredes, eosque vel omnes, vel tantum liberos tuos pertineat, vocatur *privilegium mixtum.* Requiritur itaque, ut, ſi privilegium mixtum adeſſe debeat, Prin-

Princeps id hæredibus quoque tuis impertiendum esse, significet. (§. XCVII.)

§. CXXI.

Quando existat privilegium mixtum.

Qui promisit, quæ antecedunt, promittit quoque, quæ necessario consequuntur. Quod si igitur inde, quod speciale jus cui concessit Princeps, necessario illud sequitur, ut ad hæredes etiam id pertineat, pertinebit id etiam ad hæredes & sic aderit privilegium mixtum.

§. CXXII.

Objecto removetur.

Ne objicias, extensionem sic fieri ad eos, quibus non concessit idem juris is, qui privilegium fert, quod non posse fieri, non ipsi (§. CXVI.) adfirmavimus. Extensio enim fit ad eos, quibus nihil promisit Princeps. At hic ipsa quoque voluntas & promissio Principis respicitur, quæ hoc facto tacite significatur.

§. CXXIII.

Exemplum privilegii mixti.

Hæres ex defuncti facto, si dolum removeris & pœnam, resque sit privati arbitrii eodem modo obligatur, ac defun-

functus quidem ipse. Hinc si in facto quodam obligatorio privilegium seu beneficium cui â legibus datum sit, etiam hoc pertinebit ad hæredem, si ex obligatorio isto facto conveniatur. Aliter enim obstringeretur non eodem modo, ac quidem defunctus, quod tamen repugnantiam quandam efficit. Inde evenit, ut fide jubente muliere, cui ex Scto Vellejano vel Auth. Si qua mulier C. dè Scto Vellej. beneficium competit, ne propterea solvat, hæredes ejus idem creditori opponere posse beneficium, necesse est, si solutio debiti ab iis exigatur, pro quo defuncta mulier fidejusserat.

§. CXXIV.

Aliud exæmplum.

Eodem modo privilegium personale hæredibus prodesse debet, quando id alioquin privilegiario nullius usus foret. Exempla congessit Hertius in diss. de transit. privil. person. ad alios.

§. CXXV.

Novum privilegii mixti exemplum.

Ac privilegium quidem mixtum, quod ad liberos tantum hæredes transit, adest in repetenda dote, cujus privilegia liberis

quoque mulieris hæredibus competunt: non item extraneis. Dispositum id est in Nov. 91. pr. & §. I.

§. CXXVI.

Privilegium mixtum in quos transferri non possit.

Cum igitur extendenda non sint privilegia ad alios, quibus nihil se promisisse Princeps significavit, (§. CXVI.) efficitur inde, ut privilegium mixtum ad alios, qui non sunt privilegiario hæredes, vel non sunt liberi simul, neutiquam transferri possit, hinc nec aliis cedi. Sic enim extenderetur ad eos, quibus nihil significavit Princeps se promisisse.

§. CXXVII.

Quid sit privilegium sanguinis.

Si ad te eosque tantum, qui ex te progeniti sunt, eosque vel omnes vel filios, vel etiam primum genitum modo pertineat privilegium, vocare id poteris *privilegium sanguinis*. Ejus generis privilegium adest in nobilitate & hodie inprimis occurrit in familiis novorum Principum, ex quibus primum genitus tantum dignitate Principis & hono-

no-

honore fulget, non item reliqui ex iſta ſtirpe.

§. CXXVIII.

An id in alios transferri poſſit.

Quoniam neque ſic aliis, qui non ſunt ex te procreati, Princeps promiſit, ſequitur, neque extendendum id eſſe ad alios, qui non ſunt ex ſtirpe tua, ideòque neque transferri in alios poſſe. (§. CXVI.)

§. CXXIX.

Quid ſit privilegium reale.

Si pertineat privilegium ad omnes rei cujusdam poſſeſſores, vocatur *privilegium reale* (§. XXXI.) Conceditur itaque in hoc privilegio jus quoddam reale ſpeciale. (§. XC.)

§. CXXX.

Quomodo id rei inhæreat.

Cum igitur jus reale ſimul cum prædio, ſive re in quoscunque poſſeſſores tranſeat, (§.XXXIII.) aliisque cedi poſſit (§.XXXIV.) privilegium etiam reale ſimul cum re in quoscunque poſſeſſores tranſit, aliisque cedi poteſt, diciturque etiam propterea *rei inhærere.*

§. CXXXI.
Dubium solvitur.

Nulla sic itidem extensio ad alios fit, cui id privilegii non concesserit Princeps. Si enim concedit privilegium reale, concedit etiam, ut hoc ad quoscunque rei possessores transeat. (§. CXXIX.) Alias enim concedere vellet privilegium reale, & tamen non concederet.

§. CXXXII.
Regula I. privilegia interpretandi.

Superest illud, quomodo privilegia sint interpretanda. Cum igitur in privilegio favorabili jus tibi speciale concedatur, (§. XC.) merito ita semper interpretanda sunt concessionis verba, ut revera sic speciale jus, quod non jam ex communi regula tibi competat adipiscaris. Alioquin enim ea privilegii concessio secum pugnaret, quia sic concessit Princeps speciale jus, & tamen non concessit. Conf. L. I. D. ad municip. &c. 30. X. de Privil. Ac ea quidem ratione si explicetur phrasis illa, privilegia contra Principem late explicanda esse, istam locutionem non improbaverim.

§. 133.

§. CXXXIII.

Altera regula.

Quod ſi dubium ſit, quid juris tibi Princeps conceſſerit, idque in literis conceſſionis non ſatis ſit explicitum, tunc, uti in reliquis pactis fieri id ſolet, ea notio juris formanda eſt, qualem communiter homines hoc verbo ſignificant. Privilegium enim pacto conſtitui, jam ſupra (§. XClX.) docui. Unde quæ in pactis interpretatio, ea etiam in privilegiis obtinebit.

§. CXXXIV.

Tertia regula interpretandi privilegia.

Non ſolent Principes certum, quod cui legibus debetur, lucrum auferre, neque id etiam permiſſum iis eſt, (§. XCVIII.) niſi reip. ſalus aliter conſervari nequeat (ibid.) Hinc alia venit regula, cujus in interpretandis privilegiis ratio habenda eſt, nimirum, ut ita ſemper interpretanda ſint privilegii verba, ne cui ex civibus certum lucrum & legibus debitum auferatur, ſive ut JCti loquuntur, ne cui jus quæſitum, vel utilitas ex eo capienda auferatur. Quoniam vero id permiſſum eſt, ſi ſalus Reip. id exigat, (§. XCVIII.) neque

ſubditis judicandi poteſtas eſt, quid exigat ſalus Reip. ſed ſoli Principi, efficitur inde, ut ſi Princeps id expreſſe ſtatuerit, ut cui privilegio conceſſo certum legibus jam debitum lucrum jusque quæſitum auferatur, Principis tunc ſequenda ſit voluntas.

§. CXXXV.

De concurſu privilegiariorum.

Si concurrant duo privilegiarii, ut conceſſum utrique extraordinarium jus erga ſe invicem exerceant, nequaquam fieri poteſt. Nulla enim ſic adeſt ratio ſufficiens, quare potius utatur Titius privilegio ſuo, quam Cajus, ideòque neuter utetur. Sic ut exemplum in medium adferam, non poteſt minor læſus reſtitui in integrum contra minorem læſum.

§. CXXXVI.

Declaratio.

Aliud dicendum eſt, ſi concurrentibus minoribus duobus, quorum uterque gaudet beneficio in integrum reſtitutionis, alter in damno vitando, alter in lucro captando verſetur. Quoniam enim nemo alterius damno locupletior fieri debet, major ſic adeſt ratio,

qua-

quare potius utatur primus privilegio ſuo, quam alter. Atque id quidem conſentit cum L. II. §. VI. D. de minor.

§. CXXXVII.

Privilegii exercitium non eſt res meræ facultatis.

Privilegii exercitium non eſſe rem meræ facultatis, inde quidem ſatis agnoſci poteſt, quod ejus exercendi poteſtas non fluat ex alio jure, quod exerceas, ſed proxime ex conventione cum ſubditis vel ex Principis conceſſione, & ſic ſemper in aliorum obligatione ratio, cur id exercere poſſis, ponenda ſit. (§. XCII.)

§. CXXXVIII.

Privilegii comparatio cum ſervitutibus.

Liceat nobis hoc loco forſitan non plane ab re jus, quod ex privilegio exercetur, cum ſervitutibus Juris Romani contendere. Notum eſt tironibus, quod jus in prædium ſerviens exercetur, id non aliunde venire, niſi ex obligatione ſpeciali domini, vel cujusque, qui prædium iſtud poſſidet, ideòque ejus exercitium non eſſe rem meræ facultatis. (§. XIII.) Exercetur quoque jus hoc vel â perſona tantum certa at-

que determinata, quod adest in usufructu, usu & habitatione, vel ab omnibus prædii cujusdam possessoribus, & est demum jus illud plane extraordinarium & contra communem regulam, cum ex communi regula domino omnem ex re sua fructum, exclusis aliis quibuscunque, capere liceat. Eadem omnia in privilegiis reperiuntur. Jus, quod ex privilegio exercetur, non fundatum est in alia quadam licentia, sive jure, quod sit penes privilegiarium, sed proxime in obligatione vel solorum civium, vel etiam Principis, prout ejus juris usus ad quemque pertinet, (§. CXII.) ideòque ejus exercitium non est res meræ facultatis. (§. CXXXVII.) Exercetur itidem jus hoc vel à certa quadam determinataque persona (§.CXVII.) vel â quibuscunque rei possessoribus. (§. CXXIX.) Est demum hoc jus plane extraordinarium & contra communem regulam. (§. XC.)

§. CXXXIX.

De renuntiatione privilegii.

Juri suo quemvis renuntiare posse, supra (§. LIV. LV.) exposui. Privilegiarium igi-

igitur juri ſuo per privilegium adquiſito renuntiare poſſe, nemo dubitabit.

§. CXL.

De renuntiatione per non uſum.

Ac quemadmodum juri ſuo tacite renuntiare (§. LXXV.) diximus eum, qui occaſione utendi ſæpius oblata non ignorans neque impeditus jure ſuo non eſt uſus, ita is quoque, qui privilegio ſuo non utitur, occaſione data, neque impeditus fuit, neque ignorans, tacite ei renunciat, ii vero, quorum ex omiſſo uſu iſto utilitas enaſcitur, vel Princeps, vel reliqui cives, hanc renuntiationem accipiunt, ſi talis inde naſcatur, quam aliàs ſi jure ſuo uſus fuiſſet privilegiarius, non cepiſſent.

§. CXLI.

Legum civilium munus.

Quoniam id multis gravibusque contentionibus difficillimæ perquiſitionis anſam daret, ſi lite ſuper ea re in judicio coorta, occaſionem utendi privilegio haud incognitam, neque tamen juſtis ex cauſis privilegiarium impeditum fuiſſe, quo minus jure ſuo uſus ſit, probandum foret, ideò jura civilia, tot difficillimarum litium præcidendarum

gratia temporis quoddam spatium definire possunt, quo si quis non usus sit privilegio, ei renuntiasse censendus sit, Princeps vero vel subditi id accepisse existimentur.

§. CXLII.

Quid Leges Romanæ statuerint.

Leges Romanæ statuerunt jus nundinarum amitti, si quis eo per decennium usus non sit. L. I. D. de nund. Cum igitur jus nundinarum sit jus privilegio concessum, & leges generaliter omnia determinare soleant, non sine ratione opinantur Interpretes Romani juris, id adfirmandum quoque esse de omnibus privilegiis, quæ decennio aliquoties saltim exerceri potuerunt.

§. CXLIII.

Ejus ratio indagatur.

Nimirum privilegio multa inesse, quæ servitutibus Juris Romani quoque insunt, jam supra exposui (§.CXXXVII.). Jam discutiendum est, quid in utroque inveniatur, quod conveniat, si quis eo jure non utatur. Nimirum si servitute non utaris, occasione data, nec, quo minus id facias, impeditus sis, sique alterius inde commodum & utilitas prove-

venire possit, quæ capi non possit, si jure tuo usus esses, alius sic commoditatem capere non impeditur, cujus jam antea capiendæ facultatem habuerat, nisi ea facultas per jus tuum restricta fuisset. Romanorum jura impedimentorum inprimis tollendorum gratia & ne acceptio tacita probanda sit, decennium statuerunt, quo si non usus sis jure tuo alterque libertatem usuceperit, jus hoc tibi intercidat. Eadem ratione si jure, quod ex privilegio nascitur, non utaris occasione data, quam non ignoraveris adesse, neque fueris aliis ex causis impeditus, subditisque vel etiam Principi hoc intermisso privilegii usu commodum redundare possit, aliter ac si jure tuo utereris, subditi sic vel Princeps quod habere non impediuntur commodum, id etiam habuerunt antequam id privilegio tuo restrictum fuit. Adparet hinc, magnam adesse similitudinem, si quis servitute sua & si privilegio non utatur. Unde mirum non est, Romanos idem tempus præfiniisse privilegiis finiendis, non facto eorum usu, quod præfinierunt servitutibus sic amittendis.

§. CXLIV.

Ad objectiones reſpondetur.

Contrariam nobis ſententiam fovet Vir Celeberrimus, *Auguſtinus Leiſerus*, in Diſſertatione, quam compoſuit *de Præſcriptione.* Ac primum quidem fultus eſt eo argumento, quod in allegata L. I. D. de nund. ſpecialis cauſa, nimirum jus nundinarum proponatur, jus vero ſpeciale non poſſit ſtatim pro generali venditari. Sed pace Viri Celeberrimi huc reſpondeo, non poſſe quidem jus ſpeciale & extraordinarium privilegio quodam conceſſum ad alios extendi, uti & nos ipſi in hac de privilegiis tractatione agnovimus, aliud vero omnino eſſe, ſi JCti Romani ſpecialem quandam cauſam deciderint, utpote qui ſemper ex generalibus juris regulis deciſiones ſuas hauſerunt, unde quæ ii de ſpeciali quadam cauſa adfirmant, merito adplicanda ſunt toti generi, niſi cum diverſa quædam in alia ſpeciali cauſa decidendi ratio prodeat. Neque enim fuit unquam JCtorum, dare privilegia, vel jura ſingularia, quæ tantum â Legislatore, & hinc apud Romanos ab Imperatoribus ipſis conceſſa fue-

fuerunt, quanquam JCti interdum in causa speciali pugnantibus duabus regulis, exceptionem quandam fecerint. Vidit hoc dubium ipse Vir Celeberrimus idque propterea altero argumento suo refellere voluit, quod nimirum secundum L. 3. C. de præscr. XXX. vel XL. annorum omnia jura XXX. demum annis præscribantur, quam regulam generalem Romani juris etiam hic adplicandam esse, existimat, quoniam ratio non occurrat, quare in privilegiis aliquid quidpiam statuatur. Verum etiam hic pace Viri summi respondendum mihi esse videtur, eam præscriptionem tantum pertinere ad actiones personales & interdum tantum ad reales. Sed quænam actio personalis in privilegiis præscribenda sit, non equidem agnosco. Competere enim deberet actio hæc vel adversus Principem, quocum contractum iniit privilegiarius, atque ita ad impletionem contractus tenderet; at ponimus nos, Principem jam fidem liberasse suam, & jus tibi speciale dedisse. Vel tenderet actio contra eos, qui te in privilegii exercitio turbant. At nemo adest, qui turbet eum qui ju-

re

re suo non utitur. Equidem amplius provocat Vir Celeberrimus ad c. 6. X de privil. ex quo satis clare elucere contendit, privilegia XXX demum annis non facto usu finiri. Evolvi jus Canonicum, nihil vero, ut mihi quidem videtur, in illa lege seu Capitulo inveni, quod ad fulciendam Celeberrimi Viri sententiam magni ponderis quidquam conferret. Pontifex enim in c. 6. cit. causam quandam proponit fratrum Cisterciensium, qui ex eo quæsiverant, an cum XXX annis non essent usi privilegio suo, quo decimis eos exemerat Pontifex, jure hoc jam uti incipere possent. Quod quidem Pontifex in responsione sua negat, quo facto tamen decennio quoque privilegia non utendo amitti, non negat idem. Cum igitur neque in L. 3. C. de præscr. XXX vel XL ann. neque in c. 6. X de privil. regula quædam adsit, quæ privilegii amissionem definiat, recte quidem, ut mihi videtur, norma in his causis judicandi ex L. I. D. de nund. desumitur, cujus nativam forsitan rationem §. antec. exposui.

§. 145.

§. CXLV.

De renuntiatione privilegii per actum contrarium admissum.

Renuntiare juri suo, qui actum ei contrarium admittit, (§. LXIII.) effecimus. Quocirca eodem modo privilegio renuntiari, certum exploratumque est.

§. CXLVI.

Quid sit abuti privilegio.

Abuti privilegio dicitur, qui limites ejus transgreditur in aliorum incommodum (§. XCIX.)

§. CXLVII.

Privilegia abusu finiuntur.

Cum promissio ejus, qui privilegium concedit, referatur ad conditionem, si privilegiarius limites ei positos non transiliat, (§. C.) Legislator amplius obstrictus non est ad promissa servanda, si conditio, sub qua promisit, violetur. Quid, quod privilegiarius hac ratione ipse declarat, se conventione illa amplius teneri nolle, ideòque etiam juri suo ex hac conventione adquisito renuntiat. Atque hinc privilegium per abusum finiri dicitur. Consentaneum hoc est cum c. 63. qu. 3. c. 1.

CAP.

CAPUT II.

DE ADPELLATIONUM IN GERMANIA STATU VETERI ET HODIERNO.

§. I.

Quid ſit Judex.

JUdex *eſt* perſona, cui â civitatis rectore poteſtas legum obſervationem tuendi demandata eſt.

§. II.

Quid Jurisdictio.

Poteſtas illa tuendi obſervationem legum vocatur *Jurisdictio.* Unicuique ergo Judici data quoque eſt Jurisdictio.

§. III.

De terminis Jurisdictionis.

At quoniam ad legum obſervationem eo melius tuendam unus Judex, præſertim in magno cujusdam regni ambitu non ſufficit, ideò plures conſtituendi ſunt, quibus ſingulis tractus quidam, in quo juſtitiam populo adminiſtrent, committatur. Dum igitur ſingulis determinatus quidam terræ tractus, in quo munus ſuum obeant, committitur, in eo

eo quidem juris dicundi legumque tuendi obſervationem, habent poteſtatem, non in alieno tractu, qui commiſſus iis non eſt. Atque hinc nullus Judex Jurisdictionem habet ultra terminos ipſi poſitos. (§. XI.)

§. IV.

Quid officium Judicis.

Quod ut facias, injunctum lege tibi eſt, *officium* tuum vocatur. Patet igitur, *officium Judicis* eſſe, ut legum obſervationem tueatur. (§. I.)

§. V.

Quid amplius.

Sed quoniam fieri nequit, ut legum obſervationem tueatur Judex, niſi examinet actiones civium, an conſentaneæ legibus ſint, an minus, Judicis quoque officium eſt, examinare actiones eorum, qui ipſi ſunt commiſſi, utrum legibus congruant, an ſecus.

§. VI.

Quid ſit judicium.

Examinatio Judicis de convenientia vel repugnantia actionis & legis eſt, quod *Judicium* vocamus.

§. VII.

Quid ſententia.

Sententia eſt determinatio Judicis, legibusne conſentiat actio, an minus.

§. VIII.

Quid amplius officium Judicis.

Quoniam Judicis eſt, legum obſervationem tueri, ideò ſi nondum ſatis exploratum videatur, pugnantibus præſertim regulis, quas leges ſuppeditant, Judex id determinet, neceſſe eſt, ſi ea de re lis agitetur. Simul hoc facto omnis ignorantiam prætexendi anſa præciditur iis, qui ſponte æquitatem ſequi recuſant. Patet igitur, Judicis officium quoque eſſe, ut ſententiam ferat. (§. VII.)

§. IX.

De ordine Judicum.

Iniquitatis & imperitiæ judicantium tollendæ gratia in Rep. bene diſpoſita Judices quidam conſtituendi ſunt, quibus in inferiores Judices inſpectionis jus ſit, an ii & quomodo officio ſuo fungantur, quique ſic auxilium porrigant ſi vel plane non, vel minus recte officio ſuo fungantur Judices. Ac ii quidem vocantur *Judices ſuperiores*, illi, qui eorum inſpectioni ſubſunt, *inferiores. Su-*

pre-

premus vero *Judex* vocatur is, cujus inſpectioni alii omnes Judices ſubſunt, ita ut is non ulterius ſubjectus ſit alterius inſpectioni. Adeſſe igitur debet in bene inſtituta Rep. ordo quidam & ſubordinatio Judicum.

§. X.

De obligatione inferiorum Judicum.

Dum introducitur in civitate ordo & ſubordinatio Judicum, obligandi quoq; ſunt inferiores Judices, ut concedant, ſententias ſuas ad ſuperioris Judicis examinationem ab omnibus, qui eorum in judicando iniquitate vel imperitia læſos ſe exiſtiment, perduci atque ſic ſuperioris Judicis auxilium flagitari, (§. IX.) quæ niſi adeſſet obligatio, ordo & ſubordinatio Judicum in caſſum introduceretur. Et hinc amplius obligandi ſunt, ut executionem ſententiæ ſuæ tamdiu differant, quoad ſuperior Judex eam examinaverit.

§. XI.

Quid ſit adpellare.

Qui contra inferioris Judicis decreta vel ſententias ſuperioris auxilium poſtulat, is *adpellare* dicitur.

§. XII.

De licentia adpellandi.

Dum obligantur in civitate inferiores Judices, ut superioris Judicis contra eos auxilium flagitari, concedant ab omnibus, si ipsi officio suo rel plane non, vel male fungantur, significant civiles leges satis clare, se non prohibere, quin omnes in iis causis ad superiorem Judicem adpellent & sic adpellationes omnibus permittunt. (§. XI. C. I. §. IV.) Et cum posita demum ea Judicis inferioris obligatione, licentia ea existat, (§. X.) non facultas hæc, sed jus adpellandi vocatur, (§. XII. C. I.) quod omnibus coram eo Judice litigantibus competit, & â singulis toties intra certum tempus, exerceri potest, quoties iniquitate vel imperitia in pronuntiando Judicis inferioris læsi sunt. Quamobrem egregie Ulpianus ait L. I. pr. D. de Adpell. Adpellandi usus quam sit frequens quamque necessarius, nemo est, qui nesciat, quippe cum iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat,

§. XIII.

De singulorum licentia adpellandi.

Adpellandi licentia quoniam omnibus

bus conceditur ligitantibus coram isto judice, ideo singulis, si de iis quæritur idcirco competit, quod eis liceat eodem modo lites coram illo judice gerere, quo reliqui omnes. Cum igitur sic sufficienter jam per aliam licentiam determinetur singulorum licentia, ideò si de singulis quæstio incidit, facultas potius est, quam jus (C. I. §. XIII.) ipsumque adpellandi exercitium, quod fit â singulis, quoties obligatio judicis seponi potest, est res meræ facultatis.

§. XIV.

Consectarium.

Quoniam ei demum obtingit jus appellandi, qui iniquitate vel imperitia judicantis læsus fuerit, (§. XII.) idcirco non est adpellandi tibi jus, si æquitatem vel leges secutus sit in decernando Judex, quamvis id forte incommodum tibi sit.

§. XV.

De renuntiatione adpellationis.

Juri suo facultatique unumquemque renuntiare posse, docui, (§. LIV. LV. C. I.) quatenus nemini sic damnum inferatur. Quod si igitur tibi soli damnum ex iniqua Judicis sententia inferatur, licet

cet tibi huic adpellandi facultati (§.XIII.) renuntiare. Tenendum vero hoc loco, superioris Judicis neque commodum neque incommodum existere, si adpellandi jure vel utar, vel ei renuntiem. Sola enim hic res agitur ejus, qui sententia inferioris Judicis læsus fuerit.

§. XVI.

Libertas in adpellando.

Jus adpellandi illud respicit, ut, quod ex iniqua Judicis sententia damnum tibi impendet, propulses (§. XII.) Verum ad eum obtinendum finem plures viæ patent, nimirum in aliis regionibus supplicatio, in aliis leuteratio, sæpius etjam querela nullitatis. Libertas igitur sic tibi competit, utrum malis adpellare, an leuterare, vel, in aliis provinciis, supplicare. (§. LXXVIII. C. I.)

§. XVII.

Quomodo ei non utendo renuntietur.

Quod si igitur gravatus iniqua Judicis sententia leuteraveris, vel supplicaveris, non renuntias propterea juri adpellandi, quin potius eo uti potes, si leuterando non arcueris damnum tibi impendens, sed confirmata prior fuerit sententia. Quod si vero, cum leute-

ran-

rando vel ſupplicando non obtinueris utilitatem quæſitam, adpellationis remedio non utaris, utpote quod tum abſciſſe adhibendum eſt, ſi commoda tua negligere nolis, privaris quidem in ea cauſa adpellationis auxilio, at quoniam ſingulorum adpellandi licentia facultas eſt, tacite ſic adpellandi facultati omnino non renuntias (§. LXXIX. C. I.)

§. XVIII.

Quando de renuntiatione omnium civium agetur.

An vero omnes cives juri adpellandi ſuo renuntiare poſſint, & quo facto id fiat, infra commodius explicabitur, cum de adquiſitione privilegii de non adpellando agemus.

§. XIX.

De ordine adpellandi.

Ordo quidam & ſubordinatio Judicum ob eam cauſam in civitate conſtituitur, ut ſuperiorum auxilium adſit, ſi inferiores, vel plane non, vel male officio ſuo fungantur, ſupremus vero judex ultimo demum loco auxilium præſtat (§. IX.) Sequitur itaque, ut ad ſuperiorem Judicem ſaltem in civilibus cauſis ante non ſit convolandum, quam cauſa ad inferioris Judicis cognitionem

§. XXV.

Monitum.

Illud demum hoc quoque loco prætermittendum non eſt, nullitatis querelæ remedium minus cognitum uſitatumve fuiſſe Germanis, majoribus noſtris, antequam Jus Romanum, cui id originem debet, in Germania invaluerit, cum quo demum ſimul advecta nobis eſt querela iſta. Quod jus cum ante Friderici III. & Maximiliani I. tempora Germanis non imperitaverit, ante ea quoque tempora querela nullitatis vix cognita Germanis fuit. Omnibus iis cauſis obtinuit adpellatio, quæ id nomen quoque retinuit, ſi nulliter pronuntiaſſet inferior Judex. (§. XXI.) Saltem nullibi in Germanorum legibus querelæ nullitatis mentio fit, quæ ſeparatum ab adpellatione fuerit remedium. Conferas velim, quæ infra (§. CXXXIV.) notavi.

§. XXVI.

Quid ſit juſtitiam denegare.

Juſtitiam denegare dicitur Judex, qui imploratus Officio ſuo non fungitur. Cum igitur officium Judicis exigat, ut legum tueatur uſum, (§. IV.) ut exami-

minet actiones & sententiam ferat, (§. VIII.) justitiam denegat Judex, si legum observationem non tueatur ad alicujus preces, nec actiones examinet, nec sententiam ferat.

§. XXVII.

Definitionis probatio.

Sed ne quis existimet, me pro arbitrio huic locutioni sensum adfingere, ostendam, eundem illi â Constitutionibus nostris tribui. Citabo verba ex constitutione Wilhelmi Regis an. 1255. publicata, quæ in lucem extracta est â *Dattio* in Tr. *de Pace publ.* L.I. C.IV. p. 22. *Si autem civitates & oppida propter negligentiam Judicis non poterunt Judicium & justitiam obtinere, ex nunc.* - - - Quæ quidem verba nihil aliud significare possunt, quam denegatam justitiam, si nimirum Jndex officio suo plane non fungatur. Atque hoc omnium clarissime ex Constitutionibus Friderici I. quæ sunt in *Goldasti Const. Imp.* T. III. p. 330 liquet. Verba *Constit.* I. Ita se habent: *Jus autem Judex denegare dicitur, cum judicare non vult, aut suos debitos judiciales terminos* (tempora, quibus judicia erant celebranda) *non observat.*

§. 28.

§. XXVIII.

Quid ſit querela de juſtitia denegata.

Quod ſi igitur ſic auxilium ſuperioris Judicis implores, propterea quod alius officio ſuo plane fungi recuſat, *querelam de juſtitia denegata* inſtituis. Differt igitur querela de juſtitia denegata ab adpellatione, quod hac utar, ſiquidem functus ſit officio ſuo judex imploratus, ſed non bene, illa vero, ſiplane non functus ſit. Quamquam Germani noſtri eam quoque querelam adpellationis nomine comprehenderint (§. XXI.)

§. XXIX.

Quis ſit alienus Judex.

Alienum quidem Judicem vocamus eum, cujus Juris dictioni non ſubeſt reus. At cum ſuperior Judex ſententias inferioris examinandi poteſtatem habeat, is quoque deficiente inferiori Judice ad obſervandas leges cogere poteſt reum atque ita tum quoque Jurisdictionem in eum exercet, (§. II.) hinc is alienus judex omnino vocari non poteſt. Erit igitur ſuperior quoque judex alienus, ſi ad eum vocetur reus, antequam de ea cauſa vocatus eſt ad inferiorem, (§. XIX.).

§. 30.

§. XXX.

Quis alienus Judex ex mente Germanorum.

At Francis quidem & Germanis nostris etiam superior judex, si is extra provinciam esset, in qua reus degeret, vocatus est alienus. Ac id quidem liquet ex *Capit* 71. *Add.* III. apud *Lindenbrogium. Præcipimus, ut non degradetur unaquæque provincia, sed apud semetipsam habeat Judices Episcopos & quicunque causam habuerit, a suis Judicibus judicetur, & non ab alienis, id est a suæ justis Judicibus provinciæ & non ab externis, nisi fuerit adpellatum.* Conferas quoque velim, quæ infra (§. CIII.) ex privilegio Saxonico Ferdinandi I. adduximus.

§. XXXI.

Quid sit evocari.

Evocari reus dicitur, si ad alienum Judicem vocetur. Cum igitur ex mente Germanorum superior quoque Judex, si is extra provinciam rei judicium foveret, alienus esset (§. XXX.) evocari quoque reus dicebatur, si ad Judicem superiorem extra provinciam suam vocaretur, in ipsis adpellationum causis.

Un-

Unde antiquis temporibus privilegium de non evocando comprehendit quoque privilegium de non adpellando.

§. XXXII.

De ordine Judicum apud Germanos.

Majorum noſtrorum inſtituta jam ſi conſideres, illud quidem conſtat, adfuiſſe in regno Francorum ſemper ordinem quendam & ſubordinationem Judicum (§. IX.) hodieque adhuc adeſſe. Regum enim Germaniæ hodieque eſſe Regnum Francorum, Regemque noſtrum Francicum, nemo ſane eſt, qui poſſit ambigere. Diſtributum fuit univerſum regnum & ſingulæ provinciæ in certos quosdam ac determinatos pagos, quos Centas, adunationes, Gauen, adpellarunt, quorum ſingulis *Comes* quidam, ſive *Grafio* præfectus fuit, qui regali banno â Rege inveſtitus de omnibus in eo pago controverſiis litibusque enatis ſententias Regis nomine ferendi, legumque obſervantiam tuendi poteſtatem habuit. Aſſeſſores ejus vocati ſunt *Scabini* vel *Rachimburgii*, quæ vox in Lege Salica occurrit. Pagus iſte vel centa rurſus diſpeſcebatur in varias minores adunationes, ſive centas, quas pro-

propterea centenas vocarunt, in quarum singulis aderat Judex Comiti subjectus, qui centenarius propterea adpellatus fuit, quod in centena quadam jus diceret. Ac ejusmodi quidem centena terminata sæpius est uno oppido vel vico. Vox ipsa *centenarii* occurrit in L. IV. *Capit.* 23. Jus autem ii dixerunt tantum in minoribus controversiis. Dicti sunt iidem, observante *Gundlingio* ad tit. ff. de *Jurisd. Thingini*, *Thincmanni*, *Thingi*, *Think*, unde enatum sit vocabulum *Decani.* Sæpius quoque, eodem observante, dicti sunt *Sculteti.* Atque eorum quoque minorum Judicum ordinem recenset Vir Celeb. *Jo. Georgius Estor* in Commentario *de Ministerialibus* C. I §. XVII. secutus hoc loco *Walafridi Strabensis* comparationem de Mundanis & Ecclesiasticis dignitatibus, quæ continetur *formulis Alsaticis*, Ludovico I. regnante compositis, quas publici juris fecit & pacto legis Salicæ subjunxit *Jo. Georgius ab Eccard.* Ac is quidem proxime post Comites eorum Missos in ordine locat, quorum munus fuerit, minores dijudicare causas, reservatis Comiti magis arduis. Post eos demum cen-

centenarios, sive centuriones & vicarios memorat, sub quibus constituti fuerint decuriones & decani. Conferatur hoc loco *Cangius* sub voce *Centena.*

§. XXXIII.

De Sagibaronibus.

Præter eos vero Judices, quos jam recensui, adfuerunt in singulis centis seu jurisdictionum tractibus Viri legum periti, qui *Sagibarones* vocantur in Lege Salica. Quo quidem vocabulo *Eccardo* in notis ad *tit.* L. VII §. 2. denotari videtur *vir controversiarum, sive qui controversias intelligat & secundum leges dirimere potis sit.* Ac de iis *Lege Salica* tit. LVII. l. 4. cautum est: *Sachibarones vero in singulis mallobergiis plus quam tres esse non debent. Et si de causa illi aliquid sanum dixerint, penitus Gravio nullam habeat licentiam removendi.* Quod eadem *lex Salica a Carolo M. emendata* ita exprimit Tit. LVI l. 4. *Sagibarones in singulis mallobergiis, idest plebs, quæ ad unum mallum convenire solet, plus quam tres esse non debent. Et si causa aliqua ante illos secundum legem fuerit definita, ante grafionem removere eam non licet.* Quæ verba quoque de

adpellatione â sachibaronibus ad Comites loqui videntur. Loquitur quoque de hac Judicum civilium specie *Appendix ad Form. Marculfi cap. LI. Non minima, sed maxima vertitur discordia inter illum & illum. Venientes in loco illo ante bonos homines, repetebat ipse ille in causa sua vel conjugis suæ illius adversus ipsum lui - - - Exinde taliter ab ipsis bonis hominibus fuit judicatum. Boni vero homines* illi denotare videntur Eccardo Sachibarones nostros.

§. XXXIV.
De appellationibus ad comites.

Cum ergo centenarii omnesque minores Judices Comiti uniuscujusque pagi subjecti essent, uti jam notavimus, quis, quæso, dubitet, quin ab eorum quoque iniquis sententiis ad Comitem adpellare permissum fuerit. (§. XI. XII.) Atque id adfirmat quoque Jus provinciale Saxonicum L. II. Art. 12. Schild man ein Urtel, das soll man erst ziehen an den höhern Richter (quod interpres Latinus vertit, *ad digniorem Judicem*) und zuletzt vor den König; ubi *dignior Judex* sine dubio designat Comitem, cui

pro-

proxime ſubjecti fuerunt minores Judices (§. XXXII.)

§. XXXV.

De Miſſis Regiis.

Sed cum etiam Comitum ſententiis vel negligentia ſi quis læderetur, ſubveniendum ei eſſet, in more fuit Germanorum Regibus, quosdam ex primaria nobilitate viros, honeſtate & prudentia inprimis conſpicuos per omnes vaſti imperii provincias mittere, qui inveſtigarent diligentiſſime, an Judices populo dati lites exortas legibus convenienter componerent, conquerentium idcirco clamores audirent ſedulo injuſtaſque ſententias corrigerent, vel ſi eam cauſam componere non poſſent, de ea ad Regem ipſum referrent. Ii vocati ſunt *Miſſi Regii. Auctor Vitæ Ludovici Pii* ad A. 824. ait. *Statutum eſt etiam juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent. & tempore, quo viſum foret Imperatori, æqua lance penderent. Capit.* 82. *Ludovici Pii & Lotharii Addit.* 4. *apud Lindenbrogium p.* 1190 ita habet: *Populo dicatur, ut caveat, de aliis cauſis*

 ad

ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi Regii, aut Comites eis justitiam facere noluerint.

§. XXXVI.

De adpellationibus ad Missos.

Patet ex §. antecedenti cum §. IX. collato, Missos Regios fuisse Comitum superiores quosdam Judices, adeòque ab iis ad Missos adpellare licuisse (§. XII.)

§. XXXVII.

De comite palatii.

Accessit illud, quod in aula sua Reges supremum quoddam foverent judicium, in quo *Comes Palatii* fuit supremus Judex, ipsi vero Reges haud raro, adsidente tunc Palatii Comite, interfuerunt. Eò adpellare omnibus licitum, quibus neque Comites, neque Missi Regii jus suum tribuerant. Reges enim nunquam non in Germania superiores Judices fuerunt. *Hincmarus Rhemensis Ep.* 14. *c.* 21. ita ait: *Comites Palatii inter cetera pene innumerabilia in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium palatium adgrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse judicata ad æquitatis tramitem reduce-*

ceret. Conf. cap. 82. jam adductum (§. XXXV). Reges vero haud raro interfuisse Judicio illi aulico, liquet ex principio adducti Capitularis: *Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & judicandas sedere volumus.*

§. XXXVIII.
Regum institutum.

Justitiæ quoque conservandæ ratio inprimis fuit, quod provincias suas toties proficiscendo peragrarent Reges, ut nimirum sic eo melius ipsi perciperent eorum clamores, quos Judicum oppresserat vel negligentia, vel perfidia. *Annales Pythoeani* ad A. 852. ita de Ludovico Germanico: *Profectus est in Saxoniam ob eorum vel maxime causas judicandas, qui à pravis & subdolis Judicibus neglecti, & multis modis, ut dicunt, legis suæ dilationibus decepti graves atque diuturnas patiebantur injurias.*

§. XXXIX.
De evocationibus apud Germanos.

Ceterum neque in Francorum civita-

te licuit in causis civilibus, nisi adpellatum fuerit, evocare reos (§. XXXI.) Atque hoc clarum efficitur ex jam citato Cap. 82. (§. XXXV.) Idem liquet & *Capit. Ludovici Pii Recess. Comit. Aquisgr.* 71. quod itidem jam allegavimus (§. XXX.) Jungam *Cap.* 6. ex *Pipini Regis Capit. Comit Metens.* apud *Goldastum: Ut omnes justitiam faciant, tam publici, quam Ecclesiastici, & si quis homo ad palatium venerit pro causa sua, & ante ad illum Comitem non innotuerit in mallo ante Racemburgos, & causa sua ante ipsum Comitem fuit, ante Racemburgos hoc sustinere noluerit, quod ipsi ei legitime judicaverint, si pro ipsis causis ad palatium venerit, vapuletur, & si major persona fuerit, Regis arbitrium erit.* In causis fractæ pacis publicæ aliud obtinuit, quod commemorare tamen hujus loci non est.

§. XL.

Quid Rege præsente obtinuerit.

Aliud tamen obtinuit Rege in provincia quadam præsente. Tunc enim omnia judicia vacabant, atque ipse Rex invocatus etiam primo loco contentiones

nes disceptantium componere solebat. *Jus Provinc. Sax.* L. III. *Art.* 69. ait: *In quacunque civitate Imperii Rex devenerit, ibi Telonia ei vacabunt & monetæ. Et in omni territorio, quo se transfert, sibi judicia vacant, ut possit cognoscere de omni causa in judicio non incepta, nec determinata. Et in adventu Principis omnes detenti ad faciendam cum eis justitiam sunt Regi præstandi.*

§. XLI.

Quid circa evocationes in Saxonia obtinuerit.

Ac de Saxonia quidem memorat Auctor *Juris Provincialis Saxoniæ* L. I. Art. 12. etiam in adpellationum caussis evocari non potuisse Saxones ad Regem ipsum extra Saxoniam commorantem. Ita ait cit. *Art.* 12. Wann sie dann den König erst erfahren binnen Sächsischer Art, so sollen sie zu des Königs Hof ziehen. Quod quidem Carolo M. regnante nondum in Saxonia obtinuisse videtur, sed vel ab Ottonibus iis impertitum, vel sub Henrico V. demum invaluisse crediderim, sub quo Saxones separatam Remp. instituere, animo volvebant.

§. XLII.

Ducum in Comites inſpectio.

Quamvis vero â Comitum ſententiis ad Miſſos Regios Comitemve Palatii adpellatum eſſe, ante monuerim, (§. XXXVI. XXXVII.) nolim tamen propterea negare, Duces, quibus cura incubuit, ne quid in eorum provincia reſp. detrimenti caperet, in univerſo Ducatu ſuo cum in alios Regis miniſtros, tum in Comites etiam inſpectionis quoddam jus habuiſſe, quo hi juſtitiam populo adminiſtrarent incorruptam, ſive, uti vocabant, indilatam. Unde procul dubio eſt, quod *Adelboldus* in Vita Henrici II. Cap. XIX. p. 435. *Hermannum Sueviæ & Theodoricum Lotharingiæ Duces*, ait, *defenſores & coadjutores legum* eſſe debuiſſe. Quorſum quoque pertinet fortaſſis, quod de Erpone Duce in pago Ultrajurano *Fredegarius ſcholaſticus* c. 43. notante *Spenero*, ait, *eum juſtitiæ pacisque ſervandæ ſtudioſiſſimum fuiſſe*, niſi potius Dux hoc loco deſignat Comitem. Eo enim tempore, quo Fredegarius vixit, Ducis Comitisque vocabula ſæpius eodem fere ſenſu accipiebantur, uti docet Eſtor de Miniſterialibus.

§. 43.

§. XLIII.

De Appellationibus ad Comitia.

Neque tamen illud prætermittendum eſt, quod *Hermannus Conringius* in Diſſ. de *Negot. Convent. imp.* ex Annalibus Fuldenſibus obſervat, adpellationes â Comitum judiciis Carolidarum tempore etiam ad Comitia interpoſitas fuiſſe.

§. XLIV.

Adpellationum Antiqua ratio.

Ea vero antiquis illis temporibus adpellandi ratio fuit, ut, ſi Procurator vel litigator ſententia â ſcabinis Comitum adſeſſoribus lata neque adquieſcere, neque ad Regem adpellare voluerit, carceris tam diu cuſtodia detentus ſit, donec alterutrum elegerit. Quod ſi tum provocaverit ad Regem, cum literis Scabinorum accedendum ei ad Palatium fuit. Id ſanxit Cap. L. c. 7. Saxonum moribus obtinuit, ut ſententia lata, interrogarentur litigantes, an eam comprobarent. Quod ſi tum alteruter nollet, ſtatim ei contradicere oportuit, aliter non licuit poſtea ad alium Judicem adpellare. Ita *Jus Provinc, Sax. L. II.*

Art. 6. Siquis - a sententia, quam audiverit, non adpellaverit, postmodum ei contradicendi & adpellandi facultas denegetur. Adpellatione tum ad Regem interposita Judex nuntios quosdam misit ad aulam Regiam, qui eum certiorem facerent, quis causa vicerit coram Rege. Conf. J*us Prov. Sax*. L. II. *Art.* 12.

§. XLV.

Pœna adpellantium si succubuerint.

Neque id tamen omittendum est, eum, qui â justa Judicis sententia ad Regem adpellarit, pœnam quandam subiisse. Atque illud jam *Lege salica Tit.* LX. l. 2. cautum est: *Si vero Rachinburgii illi legem dixerint, & ille, contra quem dixerunt, eis contradicat & hoc sustinere noluerit: Eos enim contra legem judicasse sibi putat; & id comprobare non poterit, unicuique de septem Rachinburgiis DC denar., qui faciunt solid. XV solvat.* Eadem *lege Ripuariorum* L V. pœna statuta esse invenitur. Cap. 6. ex *Pipini Regis Capit. Comit. Metens. - - ante Racemburgos hoc sustinere noluerit, quod ipsi ei legitime judicaverint, si pro ipsis causis ad pa-*

palatium venerit, vapuletur .. Et si reclamaverit, quod legem ei non judicassent, tunc licentiam habeat, ad palatium venire pro ipsa causa: & si ipsos convincere potuerit, quod legem ei non judicassent, secundum leges contra ipsum emendare faciant: Et si Comes & Racemburgi ei convincere potuerint, quod legem ei judicassent, & ipse hoc recipere noluerit, hoc contra ipsos emendare faciat. Notes, vocem *emendare* hoc loco significare pœnam quandam pecuniariam, nostro sermone das Gewette, quam adpellantes, si succubuerint, Scabinis, hi vero, si ii vicerint, adpellantibus dare cogebantur. Atque idem sequenti ævo adhuc usitatum fuisse, liquet ex *Jur. Prov. sax. L. II. Art.* 12. *Adpellans si sententiam non obtinuerit, Judici mulctam dabit & pronuntianti* (Scabino) *emendam* (certam pecuniæ summam), *judici etiam in expensis damnabitur, quas cum nuntiis* (conf. §. XLIV.) *expendit*. Idem dispositum est in *Weichbildo Magdeb. Art.* 13. Causa cecidisse frivole adpellantem insuperque gravi pœna adfectum fuisse, tradit *Herm. Conringius* in Diss. de *Negot. Convent Imp.* § XXVI. §. 46.

§. XLVI.

Pœna Judicis inique Judicantis.

Judicem autem iniquam sententiam ferentem pecuniaria pœna adfectum & damnum ei, qui sic læsus fuerat, interdum etiam duplum restituere coactum, imo sæpius propterea ab officio remotum esse, idem Conringius in citata Dissertatione commemorat. Conferas hoc quoque loco citatum Capit. 6. Pipini Regis (§. 40.) & quæ ibi notavimus. Atque idem quoque *Lege Salica* jam cautum videtur *Tit.* LX. L. I. *Si vero Rachinburgii non secundum Legem judicaverunt Salicam, his contra quos sententiam dederunt, solidos XV solvant.* Quæ pœna *Ripuariorum* quoq; *lege Tit.* LV. obtinuit.

§. XLVII.

Adpellationum olim raritas.

Simplicitas tandem legum consuetudinumque Germanicarum & ignorantia Romani juris id effecit proculdubio, ut iis temporibus rariores essent adpellationes, rariores etiam contentiones in judiciis. Accessit, quod pœna in e-

os

os, qui cum adpellassent, causa non vincerent, constituta esset (§. XLV.)

§. XLVIII.

Ducum juris dicundi potestas, & an ab iis adpellatum.

Quanquam igitur in universo Francorum regno per Comites administrata fuit justitia, uti exposuimus, (§. XXXII.) Duces tamen in feudis iis, quæ propter munus & dignitatem suam tenebant, de quibus Rex quoque concedere iis regalia jura solitus erat, Jurisdictionem etiam per Judices â se constitutos procul dubio exercuere, nec Regis nomine, uti quidem Comites (§. XXXII.) sed suo. Hinc *Jus Prov. Sax.* L. III. *Art.* 65. Der Marggraf dinget bey sein selbst hulden. Conf. *Thomasii Diss. de JCtionis & Magistr. Differ. se-secundum mores Germ.* §. LIV. & XCI. Idem sane adfirmandum etiam de iis feudis, quæ Duces tanquam Advocati Ecclesiarum & monasteriorum tenuere, quæ Saxoniæ inprimis Ducis opes potentiamque maxime amplificaverunt, itemque de Advocatiis ipsis. Pertinet huc *Conradi Urspergensis* locus pag. 211.

Quo

Quo facto venit ad Imperatorem Lotharium socerum suum (Henricus Magnificus Welfus) *apud civitatem Nurenberg, & ibi Ducatum Saxoniæ & omnia beneficia, quæ Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit, in beneficio suscepit.* Neque vero dubium est, quin etiam â Ducum judiciis ad Regem, tanquam supremum Judicem adpellare licuerit. Adfuit enim superior Judex, adfuit Rex, ejusque supremum aulæ Judicium (§. XXXVII.) superiore vero Judice existente adpellationes quoque locum habebunt, si regulam communem spectes. (§. IX. XII.) Quamvis non negarim, præsertim quod ad media, quæ vocant, tempora pertinet, me nescire Auctoris cujusdam testimonium. Quem enim *Spenerus* in Jure Publico suo citat *Adelboldi* locum, is non ad adpellationes, sed potius ad querelas propter justitiam denegatam pertinet. Adjiciendum demum illud quoque est, Duces plurima sæpius in provincia sua allodia possedisse, uti exploratum illud est de Saxoniæ Ducibus Bilungis, quorum in reliquis allodium fuit, quod notissimum, Castrum Luneburg, quod postea cum

Bruns-

Brunſviga urbe in allodiis Welforum Saxoniæ Ducum fuit manſitque, quamvis inique proſcripto Henrico Leone reliqua ejus allodia, quæ in Saxonia & Bavaria poſſederat, ſanequam multa, indignum in modum erepta ei fuerint. Dubium vero non eſt, quin in his non tantum patrimonialia exercerent judicia, uti *Spenerus* jam obſervat in *Jur. Publ. L. II. C. X.* verum etiam bannum ſanguinis, utpote quod acceperant ex regia manu connexum cum ipſorum dignitate, quamvis non Regis, uti jam dictum, ſed ſuo nomine exercerent. De quo banno ſanguinis multa egregie adnotavit *Gundlingius in Diſſ. de feudis vexilli.* At vero bannum iſtud ſanguinis ad crimina tantum vindicanda pertinuit. Idcirco cum allodia ipſa, & Jurisdictionem patrimonialem non ab Imperio tenerent, ſed ſuo jure, veri quidem haud abſimile eſt, provocationes in cauſis civilibus, quod ad allodia iſta pertinet, admiſſas haud fuiſſe. An vero in criminalibus permiſſæ fuerint adpellationes, nondum quidem neque adfirmari, neque negari poteſt. Docebimus tamen infra, in criminalibus

cau-

causis plane non admissas fuisse adpellationes. Postea id quidem in civilibus causis fortassis invaluit secus, cum feudis commiscerentur allodia, atque simul cum iis connexa â Rege clientelari vinculo acciperentur.

§. XLIX.

De Comitjis Ducum provincialibus.

Constat præterea, Duces habuisse Comitia sua provincialia, in quibus omnibus ejus provinciæ Comitibus comparendum fuerit. Cum igitur Ducibus inspiciendi jus fuerit, an Comites justitiam probe administrarent, (§. XLII.) facile concedo, querelam de justitia denegata vel protracta (§. XXVIII.) coram Ducibus in Comitiis adversum Comites institutam esse, si justitiam cui forte denegaverint. In iis comitiis Dux Judicem, reliqui Principes Comitesque ejus provinciæ Scabinos repræsentabant. *Lex Alam Tit.* XXIV. *Si quis homo in mortem* Ducis *consiliatus fuerit, aut vitam perdat, aut redimat se, sicut Dux & Principes populi judicaverint.* Atque in iis comitiis coram Duce conveniendi fuerunt Nobiles Domini aliique, qui ex regia manu bannum sanguinis acceperant,

rant, nec Comitum Jurisdictioni ſube-rant *Lex Alam XXXVI. VI. Et ſi eſt talis perſona, quam Comes in Placito, vel Centenarius, vel Miſſus Comitis diſtringere non poteſt, tunc eam dux legitime diſtringat.*

§. L.

Adpellationum a Ducibus raritas.

Illud tamen quoque exiſtimaverim, cum omnes apud Germanos adpellationes fuiſſe raras, (§. XLVII.) tum inprimis eas, quæ fierent à Ducum Judiciis. Adplicabo hic, quæ *Dnus Hugo de abuſu adpell. P. I.* C. XI. §. 3. De Prætore Romano ſcribit: *Hæc igitur tanti imperii majeſtas conſiſtere non potuiſſet, ſi adpellationum libertas frequentia, quæ poſtmodum* (etiam apud Germanos) *inolevit, in uſu fuiſſet.*

§. LI.

De Palatinis tribus in Germania.

Excutiendum nunc eſt paulo curatius, quæ provocationum ratio fuerit ultimis Carolingis Ottonibusque regnantibus. Nimirum Ludovico Germanico exſtincto, regnum ejus in tria ſeparata diviſum regna totidem ipſius filiis obvenit, Carolomanno in Bajoaria, Lu-

dovico Juniore in Saxonia & Thuringia, Carolo, quem Craſſum nominant, regnante in Suevia. Qui cum eſſent Reges Francorum & more Francico imperium adminiſtrarent, haberetque palatium quisque ſuum, ſine dubio etiam cuique fuit Palatii Comes, qui in Judicio Aulico ſupremo ſingulorum Regum eſſet Judex. Conf. §. XXXVII. Hinc eo tempore tres Comites Palatini exſtiterunt in Germania, unus in Bavaria, in Saxonia Thuringiaque alter, poſtremus in Suevia. Ac quoniam lites per provocationem ad Regem delatas deciſione ſua compoſuit Comes Palatii, uti ſupra ex Hincmaro Rhemenſi demonſtratum dedimus, (§. XXXVII.) dubium non eſt, quin hi etiam Palatii Comites ſaltim durantibus iis tribus regnis de cauſis ad aulam regiam adpellando perductis in judicio aulico judicaverint.

§. LII.

Archi Palatinus reſtitutus.

Poſteaquam Henricus Auceps Lotharingicum regnum â Carolo Simplici recuperaverat, isque Aquisgranum, quæ jam regnante Carolo M. Archiſolium Regni Francorum fuerat, uti id evictum

in

in *Gundling.* P. XVIII. *Diſ.* II. denuo ad id ſplendoris evexerat, miſit is Eberhardum Conradi præmortui Regis ſine dubio fratrem, ut in Palatio Aquenſi Comes jus diceret. Ita enim *Frodoardus* ad A. DCCCCXXVI. ait. *Eberhardus transrhenenſis in regnum Lotharii mittitur ab Henrico juſtitiam faciendi cauſa, & Lotharienſes inter ſe pace conſociat.* Quod ſane equidem admirationem haud incurrit, cum Henricus ejusque poſteri Francico more regnare inſtituiſſent; quod clarius expoſuit Jll. *Gundlingius in Diſſ. de Henrico Aucupe.*

§. LIII.

De Palatinis provincialibus.

Enimvero ſervavit quoque Henricus ejuſque ſucceſſores Comites palatinos, qui jam aderant in Suevia, Bavaria & Saxonia, (§. LI.) retenti procul dubio etiam ab Arnulfo ejuſque ſucceſſoribus & ſic tranſmiſſi ad Henricum, præſertim cum feuda, quæ eorum dignitati ſuſtinendæ inſervirent, jam adeſſent. Frequens enim eorum Comitum Palatinorum ſub Ottonibus atque etiam ſubſecutis Regibus mentio fit apud coævos ſcriptores. Neque in more tum fuit

Francorum Regibus, abolere dignitates ſemel conſtitutas, inprimis cum Proceres jam iis temporibus haud quidem parum ad ſummam rerum ejuſque generis mutationes concurrerent. Veriſimillimum igitur eſt, eam Palatinorum horum Comitum originem eſſe, qualem propoſuimus, ſecuti ea in re Gundlingium, ſummum Virum, & totius rei literariæ malo jam nobis ereptum fatis, qui in *Gundling.* P. XXI. *Diſſ.* I. §. 12. 13. Eandem horum originem adfirmat. Quin veriſimillimum etiam fit, Comites hoſce Palatinos continuaſſe antiquum in iis regnis, ſive jam provinciis, munus judicandi, adpellationeſque â Comitum ſententiis interpoſitas diſcutiendi, atque ita in Miſſorum Regiorum, eorum ſcilicet, qui ordinarie in eum finem delegati fuerunt & quorum munus ſupra deſcripſimus (§. XXXV,) locum ſingulos in ſua provincia ſucceſſiſſe. Nam etſi adfirmare haud quidem ſuſtineam, Miſſos Regios plane Ottonum tempore deſiiſſe, quod nonnulli ſatis perperam ſibi perſuaſerunt, mihi tamen veriſimillimum videtur, eos in Germania, quæ â Lotharingico regno ſe-

ſeparata eſt, tantum delegatos poſtea eſſe, ſi extra ordinem controverſia aliqua componenda eſſet, maxime ſi inter Status Imperii lis & contentio quædam ferveret, qui quidem mos hodieque ſupereſt, ut delegentur Commisſarii, quos vocant, ad ejusmodi controverſias amice componendas. Atque ita explicanda puto loca, quæ apud *Spenerum* Jure Publ. L. II. C. X. ex Chronico Laurisheimenſi & Tölneri hiſtoria Palatina in medium adferuntur, & quæ *Gundlingius* citat in Diſſ. de feud. vex. §. 23. de Günthero Schwarzenburgico, Ludovici Bavari Imperatoris Miſſo in cauſa Pomeraniæ ac Marchiæ Brandenburgenſis. In Italia & Lotharingia ordinarios etiam Miſſos Regios non deſiiſſe, infra clarius docebimus. (§. LIV. LV.) Unde quod de Ottone Morena adducit *Spenerus* citato loco ex ejusdem Auctoris Rebus Laudenſibus, ſententiam noſtram vix infirmat, cum Otto de Morena in Italia fuerit, nobis vero tantum de Germania ſermo ſit.

§. LIV.

Miſſi in Lotharingia manſerunt.

Quoniam vero ea, quæ de Comiti-

bus Palatinis provincialibus in locum Missorum Regiorum, iis in provinciis, substitutis adfirmavimus, (§. LIII.) Germaniam tantum spectant, in regno Lothariensi etiam desiisse Missos eos judicandi potestate instructos, non adfirmabo, quos ibi adhuc, Friderico II. regnante, usitatos fuisse, liquet ex privilegiis, quæ idem Imperator dedit. Principibus Ecclesiasticis apud *Gelenium L. III. Hist. S. Engelberti*, qui â Dno de Ludwig in Comment. ad A. B. Tit. XI. §. I. not. i. citatur, quibus cautum, ut *Missi* & Judices Cæsarei ne judicent in civitatibus eorundem, nisi octo dies ante & post ibidem habitam Curiam Imperialem.

§. LV.

Missi manserunt in Italia.

In Italia, Regno Germaniæ firmiter conjuncta ab Ottone M. obtinuit quoque adhuc, quod jam quodammodo prælibavimus, (§. LIII.) antiqua ratio delegandi Missos, qui iniquas Judicum sententias corrigerent. Citabo eum in finem Constitutionem Ottonis I. & II. de Regalibus B. Petro concessis, quæ est apud *Goldastum T. II. Const. Imp. p.* 45.

45. *Ut Missi Domni Apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renuntiare valeant, qualiter singuli Duces ac Judices populo justitiam faciant. Hinc Imperialem constitutionem quomodo observent qui Missi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum seu Judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apostolici referant. Et ipse unum è duobus eligat, aut statim per eosdem Missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut Misso nostro nobis renuntiante, per nostros Missos a nobis directos emendentur.* Atque ea Missos delegandi ratio usu viguit in Italia etiam Conrado Salico regnante. Id enim testatum faciunt verba Diplomatis Conradi Salici, quod falso â nonnullis Conrado III tribuitur, apud *Goldastum T. III. Const. Imp. p.* 327. *De minoribus* (Valvasoribus) *vero in regno nostro aut ante seniores, aut ante Missum nostrum eorum causa finiatur.* Quin eos Missos Friderico I. etiam regnante, adhuc in Italia fuisse, patet ex pactis Imperatoris hujus cum Mediolanensibus initis, quæ sunt apud *Goldastum T. I. Const. Imp. p.* 270. *Legati vero*

ro Domini Imperatoris in Italiam directi si civitatem adierint, in Palatio sedeant & Placita ad eos delata ad honorem Imperii diffiniant. Atque ad hoc probandum etiam pertinet, quod Spenerus, uti diximus, (§ LIII.) de Ottone Morena in medium profert, quem Friderici I. temporibus vixisse constat.

§. LVI.

Quatuor in Germania Comites Palatini.

Sed jam redeamus ad Comites nostros Palatinos, Quorum sic quatuor in regno Francorum orientalium exstiterunt, si tribus Palatinis provincialibus, quos commemoravimus, (§. LIII.) jungas Palatinum in Archisolio Regni. Hinc est, quod Auctor speculi Saxonici *Jur. Prov. L.* III. *Art.* 53. *ait.* Jegliche deutschlande hatten ihre eigene Pfaltz-Grafen: Sachsen, Beyern, Francken und Schwaben waren alle Königreich. Ubi notandum, quod *Jll. Gundlingius* animadvertit in *Gundling.* P. 21 *diss.* I. §. 12. vocem Francken hic non denotare Franconiam, sed eam Franciam, quæ est mater & caput regni Francorum Orientalium, cui accesserunt reliquæ provin-

vinciæ, Germanicam, Ripuariam & Medianam.

§. LVII.

De appellationibus ad Palatinos provinciales.

Cum igitur consentaneum maxime sit, Comites Palatinos, qui in tribus Germaniæ provinciis exstiterunt, singulos in sua provincia Missorum veterum munus obeundum suscepisse (§ LIII) cumque amplius certum sit, ad eos olim â Comitum sententiis adpellatum fuisse (§ XXXV. XXXVI.) itidem sane ad Comites Palatinos provinciales à Judicibus cujusque provinciæ provocatum fuisse, admodum est probabile. Atque hic quidem notatu dignus est locus *Aventini Ann.* Boj. *L. IV. C.* 23. *Comes Palatinus in Bavaria - - fidem Imperatoris implorantibus aderat jusque reddebat.* Quinimo consentiunt omnes, ipso etiam *Dno de Ludwig* in Comm. A. B. *Tit.* V. § I. p. 524. adfirmante, â Judiciis etiam Ducum provincialibus aulicisque ad Comites Palatinos adpellatum fuisse, id quod etiam Aventini testimonium adfirmare videtur.

§. LVIII.
De Palatinorum provincialium dignitate.

Ecquis vero jam dubitet, Comites hosce Palatinos etiam Principum loco habitos esse, qui tantam eorum dignitatem adspexerit, quamvis forte in Diplomatibus, quod *Dnus de Ludwig* objecit, nonnunquam post Comites subscripserint. In ea enim, quæ in Diplomatibus vetustis obvenit, subscriptione dignitatis non semper ordinem servatum esse ex compluribus documentis constat. Sic ut exempla adducam, in Friderici I Imp. Confirmatione Pacis cum Alexandro Papa factæ apud *Goldast T. III. Const. Imp.* p. 358. Comes Hollandiæ subscripsit ante Marchionem de Lusicz; at Marchiones nunquam non Principum loco habitos fuisse, constat. In ejusdem Imperatoris Decretis Comitiorum Roncaliensium, quæ sunt in *Goldasti Constit. Imp.* T. III. p. 334. Dux Teccensis & Marchio Moraviæ post omnes Comites recensentur. Adsunt vero etiam Diplomata, quibus Comites Palatini provinciales priores omnibus Comitibus subscripserunt. Hac ratione

ne in Diplomate Friderici I Henrico Austriaco dato Comes Palatinus Bavariæ statim post Comitem Palatinum de Rheno subscripsit, omnibus Comitibus prior, Ac ut dubitationem tandem omnem removeam, adducam verba quædam ex Diplomate Friderici II. Imperatoris an. 1242. dato, quod â *Paulini* in *Hist. Isenac.* §. 56. p. 48. & à *Schurtzfleischio* in notis ad Michaelis Bojemi Vitam Alberti Animosi Ducis Saxoniæ in lucem prolatum est, quæ quidem ita se habent: *Tibi post mortem Avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiæ duos Principatus suos, videlicet Landgraviam Thuringiæ, & Comitiam Palatii Saxoniæ - - jure contulimus feudali.*

§. LIX.

De adpellationibus ad Archi-Palatinum.

Sed quoniam â Missorum sententiis ad Regem, seu potius ad Judicium aulæ supremum, in quo Comes Palatii jus dixit, (§. XXXVII.) adpellare omnibus fuit permissum, sine dubio etiam provocare licuit amplius â trium Comitum Palatinorum provincialium sententiis iniquis & contra leges latis ad Regem, seu

ſeu ejus nomine ſupremo loco jus dicentem Judicem. Atque ita dubium non eſt, quin â Palatinis Bavariæ, Sueviæ & Saxoniæ adpellatum fuerit ad ſummum Regni Palatinum, qui reliquos omnes dignitate longe anteceſſit, & ſupremo loco jus Regis nomine dixit (§. XXXVII. LII.)

§. LX.

Quas cauſas ad Regem retulerint.

De cauſis magni momenti, quasve componere non poterant, ad Regem retuliſſe Miſſos, quo is, vel ejus ſupremus Judex eas deciſione ſua perimeret, itidem demonſtravimus. (§. XXXV.) Quamobrem de tribus Comitibus Palatinis provincialibus, in Miſſorum locum ſubrogatis, idèm dicendum eſſe, quis dubitet?

§. LXI.

De Ottonum tempore.

Ottones cum eadem ratione adminiſtraverint imperium omnes, uti quidem Henricus Auceps & Carolingi, eadem quoque ſine ulla dubitatione, regnantibus iis, manſit adpellandi ratio, quam hucusque expoſuimus, quamvis forſitan adpellationes generatim in Germania ra-

rariores esse, existimaverim, ob ea, quæ jam exposui. (§. XLVII.)

§. LXII.

De Judicio Magdeburgico.

Quod inprimis attinet ad Saxoniam, *Weichbildum Magdeburgicum Art. XII.* commemorat, Ottonem Rufum instituisse Magdeburgi in fine Ecclesiæ Cathedralis palatium, quo adpellandum esset â Judicio Magdeburgico, ne Saxones in iis causis Regem longius sequi cogerentur. Sed quamvis Ottones eximie Saxonibus suis favisse, constet, urbsque Magdeburgum eo tempore caput totius Saxoniæ fuerit, sedesque Ducum ex Bilunga gente, neq; tamen verba Weichbildi Mageburgici seculo XII. forsan compilati de tam antiqua re testantis nobis fidem faciunt. Adest quidem in *Goldasti Constit. Imp.* T. I. p. 215. Diploma quoddam Ottonis M. quod de locatione & privilegio Cameræ Imperialis Magdeburgensis inscribitur. Sed ut taceam, hoc Diploma â sagacissimis viris jam dudum sublestæ fidei habitum esse, nihil quoque eadem charta de Judicio isto continetur. Aliud quidem Ottonis II. Rufi in ejusdem auctoris T. I. *Const.*

Im-

Imperial. Diploma de eo Judicio adeſt. Verum ne id quidem â ſuſpicionis alienum videtur. At quamvis ea in re non plane fidem nobis faciat Jus Civitatis Magdeburgenſis, nihilo tamen ſecius id â vero non alienum putamus, ſed potius veri haud diſſimile. Atque ſic propius accedit vero conjectura, quam ſupra adduxi de ſpeciali quodam Saxonum jure. (§. XLI.)

§. LXIII.

De Conradi II. temporibus.

Sub Conrado Salico manſit eadem rerum conditio, ſi removeris illud, quod eo tempore ſaltim in Italia rebusque feudalibus invaluit, ut de minoribus & ſic quoque Valvaſinorum cauſis ad Regem adpellare non liceret, ſed potius ejus generis lites in eo ipſo regno ad finem perducerentur. Conferas hujus Imperatoris conſtitutionem de *beneficiis & terris tributariis* apud *Goldaſtum* T. III. *Conſt. Imp.* p. 327. cujus verba ſunt: *Si contentio emerſerit inter Seniorem & Militem, quamvis Pares adjudicaverint, illum ſuo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc injuſte vel odio factum eſſe, ipſe ſuum beneficium teneat, donec Senior*



& ille, quem culpat, cum Paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa juste determinetur. - - Hoc autem de majoribus Valvasoribus observetur. De minoribus vero in Regno nostro, aut ante Seniores, aut ante Missum nostrum eorum causa finiatur. Quod an in Germania quoque eo tempore obtinuerit, incertum est.

§. LXIV.

De Henricorum tempore.

Henricis atque inprimis ejus nominis quarto, regnantibus, inciderunt infaustissima tempora, quibus omne jus manu armisque quærebatur. Miseranda tunc in Germania judiciorum fuit facies, nec multus sane adpellationum usus, præsertim ad Regem, cum ob terrorem fulminis in eum vibrati â Pontifice quam plurimi ejus clientium auctoritatem ipsius negligerent, resque inprimis tot adversus eum electis Regibus in summam conjecta esset perturbationem.

§. LXV.

De adpellationum statu in Saxonia sub Henrico V.

Cujus filio Henrico V. regnante accidit, ut Imperatoris copiæ â Lothario Sa-

Saxonum Duce ad Gerbstadium in sylva catulana ad internecionem usque profligarentur. Quo facto Saxones, *suppressa*, ut *Conradus Urspergensis* ait, *Imperatoris persona*, separatam à reliquis Francorum populis rempublicam stimulante Pontificis legato, instituere, mente agitarunt, omnesque Marchiones, Principes, Comites & Barones Saxoniæ sub Ducis Lotharii imperium concesserunt. Fuit tunc temporis Fridericus ex gente Comitum de Sumerscheburg Palatinus in Saxonia Comes, quem quidem cum Imperatore tum stetisse, in *Gundling.* P. XXI. *Diss.* I. §. 14. ex *Conrado Urspergensi* traditur. At eadem quoque procul dubio causa fuit, quod Lotharius Dux Diterico Rochlicensi, uti *Fabricius* & *Albinus* fide *Chronic. Vet. Cell.* atque ex his *Gribnerus* in Differt. de *Palatin. Sax.* referunt, Palatinatum Saxoniæ contulerit. Quod quanquam alii eum non fecisse putant, ut Saxonia Ducem, suave potestate, sed vicaria à Rege accepta, veri tamen id neutiquam videtur simile. Vix enim facturus fuisset Imperator, ut Fridericum, qui cum ipso fecerat, eo Palatina-

tu

tu privaret, vel etiam ejus posteros. Taceo, eos, qui Principum loco habiti sunt, omnes ab ipso Rege investiendos semper fuisse, atque sic etiam Comites Palatinos, quos Principum in ordine habitos esse, supra (§. LVIII.) exposui. Quocirca cum jam Palatinus quoque in Saxonia Comes Lothario Duci subjectus esset, procul dubio etiam ab eo adpellatum fuit ad Ducem, neque amplius fortassis ad Regem, cujus præsertim tam exigua tunc in Saxonia auctoritas fuit. Quamvis etiam postea forsitan receperint Palatinatum illum Comites de Sumerscheburg (id enim propterea credibile est, quia exstincta ea gente sub Friderico Barbarossa & Henrico Leone de Palatinatu Saxoniæ lis agitabatur), tamen cum reliqui Princepes & Barones tum subjecti essent Duci Saxoniæ, sine ulla quidem dubitatione ii quoque subjecti eidem fuerunt. At ex adducto *Conradi Urspergensis* testimonio non minus illud quidem liquet, ad Regem adpellationes eo quidem tempore, quo Imperatoris personam supprimere cupiebant Saxones, vix amplius ad Imperatorem è Saxonia factas fuisse.

§. LXVI.
Continuatur.

Accidit quidem postea, ut cum Henrico V. Imperatore in gratiam redirent Saxones, pactione Herbipoli composita, uti *Conradu Urspergensis* exponit, qua jura fisci restituta Regi fuere. At mansit quoque propria Lothario Duci â Saxonibus jam antea tradita potestas in ea provincia, qua nullus Germaniæ Ducum tum gavisus est pari; manserunt ei subjecti addictique Saxoniæ proceres eumque uti dominum suum veriti sunt. Unde sine ulla quidem dubitatione post eam quoque pactionem initam â Comitum, & Baronum Saxoniæ judiciis, inprimis vero à Comite Palatino adpellatum est ad Ducem. Quin nec à Duce quidem ad Regem postea adpellatum esse, is concedet facillime, qui, quanta veneratione Lotharium Ducem suum prosecuti fuerint omnes Saxones, secum perpendet. Quod si jam tum quoque id juris in Saxonia obtinuerit, de quo supra diximus (§ XLI), ut ne adpellatio coram Rege introduci possit, nisi cum is aliquando in terra Saxonica deprehenderetur, inde quoque elucere pos-

possset, iis temporibus minime provocatum fuisse ad Regem, quoniam Henricus neque post eam pactionem in Saxoniam venire ausus est.

§. LXVII.

Adpellationum in Saxonia sub Henricis Welfis status.

Ac Lotharius quidem, Henrico V. mortuo, condecoratus regio diademate tradidit Saxoniæ Ducatum, eundem, quem tenuerat ipse, Henrico Magnifico Bavarorum Duci, qui cum eadem potestate illum ad Henricum Leonem filium suum transmisit. Ac si is quidem post ultimi Comitis Palatini Saxonici ex gente de Summerscheburg, è vita discessum investitus de hoc Palatinatu fuisset â Friderico I. an. 1164. uti *Spangenbergius* p. 306. tradit, sine dubio jam â Comitum Judiciis, nemine intercedente, proxime ad Ducem adpellatum fuisset (§. LVII.) At quæ *Spangenbergius* tradit, vel propterea aliena esse â veritate, in *Gundling.* P. XXI. Diss. I. §. 14. demonstratum est, quod familia Comitum de sumerscheburg demum an. 1178. extincta sit. Fulserunt ii Duces Henrici tanta potestate, tantoque imperio &

auctoritate, ut plane credibile non sit, præsertim cum adpellationes omnes Germanis olim rariores fuerint, (§. XLVII.) ab iis Ducibus ad Regem adpellari potuisse. Notatu quidem dignissimus est locus *Helmoldi Chron. Slav.* L. I. C. LXXIII. n. 5. de Henrico Leone verba facientis: *In hac terra* (Saxonia) *sola Ducis auctoritas attenditur.*

§. LXVIII.

Alia mutatio in Saxonia.

Atque ea adpellationum forsitan conditio fuit in Saxonia usque ad Henricum Leonem Welfum. Quo proscripto â Friderico Ænobarbo iniquum in modum, Saxoniæ quidem ducatus obvenit Bernhardo Ascanio, Alberti Ursi filio, at nomine potius quam re. Pertinet huc, quod *Arnoldus Lubecensis* L. III. C. I. de Bernhardo dixit: *Unde nec ab Imperio juxta statum prioris est honoratus, nec à Principibus vel terræ Nobilibus est reputatus.* Cum enim Henricis Welfis & Lothario omnes Saxoniæ Comites, Principes & Barones paruissent, ii omnes jam Bernhardi Ducis imperio exemti fuere, & si Razeburgicum Suerinensemque removeris, nullus

lus ex Comitum numero in novi Ducis comitia provincialia venit. Reliqui omnes Cæſari & imperio ſubjecti ſunt proxime, & quod notatu dignum, Palatinatus etiam Saxonicus non quidem Bernhardo, ſed Thuringiæ Landgraviis ab Imperatore collatus eſt. Qui cum ſaltim ante Lotharii tempora ſubjectus fuiſſet Archi-Palatino Regni, (§. LVII.) poſtea Ducibus (§. LXV.) jam majori forſitan ſplendore circumfuſus eſt & ſupremum in Saxonia judicandi munus â Friderico I. accepit, quod veriſimillima quidem ratione oſtenſum eſt in *Gundling*. P. XXI. *Diſſ.* I. Ex iis igitur, quæ jam adduxi, recte quidem illud primum efficitur, â Comitum & reliquorum Principum Saxoniæ judiciis amplius adpellari non potuiſſe ad Ducem Saxoniæ, multominus a Comite Palatino. Tum illud quidem ex iis, quæ dixi, innoteſcit, cum non eadem auctoritas fuerit Bernhardi ejuſque ſucceſſorum, non adeſſe eandem rationem, quare a Bernhardo quoque ejuſque poſteris non adpellatum unquam eſſe ad Regem, adfirmes, niſi forte dixeris, quam rationem Ferdinandus I. in privilegii de non

adpellando genti Saxonicæ dati diplomate apud *Limnæum Jur Publ.* T. I. L. III. c. X. adfert, ob speciale Saxonum jus legesque separatas adpellationes ad Regem usu minus viguisse. Sed si ita rationes subducas, illud quoque concesseris, a Marchionibus Comitibusque similiter ad Regem eo tempore plane amplius provocatum non esse. Jura enim Saxonica, quod certissimum est, olim per universam Saxoniam viguerunt. At hic te refellit *Speculator Saxonicus*, qui quod jam dixi, circa interregni tempora vixit, easque testatur, fieri potuisse, dummodo in terra Saxonica Rex deprehensus esset. Conferas hoc loco *Jus Prov. Sax.* L. I. *Art. XII.* Ibi enim traditur ex Marchia quadam vel Comitatu ad Regem adpellandi ratio. Illud tamen lubentissimus concesserim, si quæ acciderunt in Saxonia adpellationes, eas fuisse rarissimas, quia, Rege demum in Saxoniam veniente, coram eo introduci potuerunt. (§ XLI.)

§. LXIX.

De Saxonia continuatur.

Postea Landgraviis Thuringiæ exstinctis, Palatinatus quidem Saxonicus a Ru-

Rudolpho Hapsburgico genero ipsius Alberto II Duci Saxoniæ ex gente Ascania collatus est. Quoniam igitur cum hoc Palatinatu jam tum supremum in Saxonia judicandi munus conjunctum fuit eodem modo, ac cum Palatinatu ad Rhenum, (§ LXVIII) major jam quidem ratio adest, cur postea a Ducum Saxoniæ judiciis usitatas minus fuisse provocationes ad Regem arbitreris. Forsitan propterea usu invaluit, quod Elector Saxoniæ adpellatus fuerit Protector Juris Saxonici. Palatinus enim supremus in Saxonia Judex fuit. Neque minus inde forsitan manavit illud, quod ad Electorem Saxoniæ tanquam palatinum & Protectorem Juris Saxonici a reliquorum Saxoniæ Principum Comitumque judiciis sæpius adpellatum sit, quod quidem factum esse, habeo ex ore Viri cujusdam summi qui jam ex vita excessit. §.LXX.

De Judicio Rotvilensi.

Judicium aulæ Cæsareum Rotvilense a Conrado III institutum esse, multi quidem tradiderunt, probari vero certo non potest, at nobis veri haud dissimile videtur, quoniam non tantum

mulum addidit hiſce privilegiis Imperator, dum expreſſe ſanxit quoque, ne Imperium vel alius quispiam ea, quæ Dux conſtituiſſet, commutare ulla ratione poſſit. In diplomate enim Friderici I. Henrico Auſtriaco dato an. 1166. & a Friderico II. confirmato an. 1245. apud *Cuſpinianum in Auſtria p*, 621. *&* *Limnæum P. V. Jur. Publ.* C. II. eum in modum ſe habent verba: *Præterea quicquid Dux Auſtriæ in ſuis diſtrictibus ſeu fecerit, vel ſtatuerit, hoc Imperium, nec alia potentia modis ſeu viis quibuſcunque debet alio quoque modo in poſterum commutare.* Cum vero adpellationibus ad Cæſarem interpoſitis, ea, quæ Dux Auſtriæ in ſuis regionibus ſtatuit decrevitque commutari poſſent, efficitur inde, ut neque ab ejus ſententiis per hoc privilegium adpellare ad Cæſarem vel Imperium amplius licuerit. Atque id privilegii confirmavit quoque Auſtriacis Carolus IV an. 1366. & Sigiſmundus Imperator an. 1437. quæ diplomata ſunt itidem apud *Limnæum* P. V. Jur. publ. C. II. Quin confirmavit corroboravitque denuo Carolus V Imperator idque ad omnes Auſtriacorum regiones extendit an.

an. 1530. cujus Diploma apud eundem auctorem citato jam loco reperitur.

§. LXXV.

Conclusio inde ducitur.

Liquet ex ea expressa & speciali concessione juris de non adpellando & speciali concessione juris hujus de non adpellando â Friderico I. Henrico Austriaco indulta, id juris tunc temporis vix competiisse Ducibus & Principibus ob muneris eorum majestatem. Opus enim sic non fuisset, id speciatim novo Duci indulgeri à Rege, sed suffecisset, generaliter omnia ei jura, quibus Duces eminent, largiri. Neque etiam fortassis in reliquis juribus & privilegiis, quæ Duci Austriaco præ reliquis Imperii Ducibus & Principibus competerent, relatum esset.

§. LXXVI.

Privilegium Coloniensi datum.

Eundem Imperatorem Fridericum I. *mandasse* etiam *Archi-Episcopo Coloniensi jus in adpellatione & vicem suam tam in Episcopatu, quam supra omnes suffraganeos sedis Coloniensis*, memorat *Gottfridus Monachus* ad Ao. 1187. *Tom. I. Freber.* atque ex eo *Hertius* in Diss. de *superiorit.*

rit. territ. §. 28. Sub hoc *jure in adpellatione* neſcio quid aliud intelligendum ſit, quam jus de non adpellando, quod ſequentia quoque verba *vicem ſuam* ſubnotare videntur, ut quemadmodum ab Imperatore ipſo adpellari amplius non poſſit, ita neque ab Archi-Epiſcopo vicem Imperatoris ſuſtinente. Quod quidem ob mandati vocem, qua utitur Gottfridus, perſonale privilegium videri poterat. At eandem conſuetudinem viguiſſe ſemper in eo Archi-Epiſcopatu Carolus IV. tradit in A. B. *Tit.* VIII. §. I. dummodo notes, ſub alieno judice comprehenſum quoque ſemper fuiſſe ipſius regiæ aulæ judicium, quod extra regionem quandam eſſet.

§. LXXVII.

Status adpellationum in Italia ſub Fridertco I.

Quæ in Italia circa adpellationes ordinaverit idem Barbaroſſa, id docent *Decreta Comitiorum Roncalienſium* apud *Goldaſtum* T. III. *Conſt. Imp.* p. 334. *Tum de litibus adpellationum componendis Imperator conſtituit, in ſingulis diœceſibus Judices ordinarentur non ex ipſa diœceſi, ne gratia, aut odio corrumperetur judi-*

dicium, sed aut ex hoc Conventu, aut ex aliis civitatibus editi, eisque summum de omnibus rebus statuendi arbitrium dedit.

§. LXXVIII.
De Privilegio Bohemico.

Idem fortassis Imperator Fridericus Ænobarbus, cum eximie faveret Uladislao Bohemorum Duci, eique non tantum circulum aureum ferendum dedisset, qui, *Cangio* notante, signum superioritatis territorialis fuit, verum & eundem creasset Regem, indulsisse illi quoque videtur privilegium, ut nemo, qui quidem ei subjectus esset, *ad cujuscunque actoris instantiam, extra Regnum ipsum ad quodcunque tribunal, seu alterius, præterquam Regis Bohemiæ & Judicum Regalis Curiæ suæ judicium citari potuerit, sive trahi nec vocari debeat perpetuis inantea temporibus, sive possit.* Atque hoc forsitan ei confirmavit Philippus Romanorum Rex, Friderici filius, utpote qui denuo Bohemorum Ducem regio diademate redimivit, terrasque Bohemicas in regnum perpetuo stabilique Jure evexit. Quod ut existimemus, permoti sumus non tantum

pro-

propterea quod Carolus IV. Imperator in *Aurea Bulla Tit.* VIII. §. I. *per divos Romanorum Imperatores & Reges* hoc privilegium *Regibus progenitoribus & prædeceſſoribus ſuis regnoque Bohemiæ indultum* eſſe adfirmet, verum etiam idcirco quod Elector quoque Moguntinus, qui reliquorum Electorum nomine privilegium hoc Bohemicum confirmavit, in charta illa, quæ eſt apud *Goldaſtum*, idem tradit. Ii vero, quos nominavi, Imperatores & Reges plane propemodum ſingulariter faverunt Bohemo. Unde ab iis quoque hoc privilegium profectum eſſe probabile eſt. Equidem *Dnus de Ludwig* in *Comment. ad A. B. Tit.* VIII. §. I. Carolum hæc ita tantum ſine ratione adfirmaſſe putat, propterea quod nullum, qui id indulſerit Regem, ſpeciatim nominaviſſet, neque ullum ea de re Diploma Bohemicus quiſpiam ſcriptor in lucem proferre potuiſſet. Verum abſit, ut ea adfirmare, quæ vero haud conveniunt, in majeſtatem Imperatoriam cadere exiſtimemus, præſertim cur nulla adſit ratio, quare id feciſſe Carolus dicendus ſit.

§ 79.

§. LXXIX.

Continuatur.

Cum igitur ad aliena quoque judicia trahi & evocari diceretur quis, ad ipſum adpellationis Judicem ſi vocaretur in provocationum cauſis (§. XXX. XXXI.) ob eam ipſam cauſam Bohemo quoque de non adpellando privilegium ſimul datum eſt. Unde quoque ea conſuetudo manavit, quam Carolus IV. in Bohemia à tempore, quod omnem memoriam excedat, obtinuiſſe teſtatur, ut à Bohemiæ Regibus judiciis nemo adpellaverit. Confirmavit poſtea id privilegii Carolus IV. non tantum in Aurea Bulla, verum & jam ante Auream Bullam promulgatam an. 1355. quod Diploma eſt in *Goldaſti* Reichs = Satzungen P. I. *an.* 1355. §. 10. p. 152.

§. LXXX.

De Bavaria.

De Bavariæ quidem Duce illud cognitum eſt, ei Ottone IV. regnante Palatinatum Bavaricum ceſſiſſe. Unde fortaſſis efficeres, adpellationes à Comitum Bavaricorum ſententiis jam ad Ducem directas eſſe, utpote qui in Palatini locum ſucceſſerit, præſertim cum eidem

Duci

Duci postea Friderico II. regnante Archi-Palatinatus quoque ad Rhenum obvenisset, nisi id quoque dubium moveret, quod circa interregni tempora Comites majorem se in libertatem vindicarunt. At nobis quidem hoc dubium non esse tanti momenti videtur, ut propterea semel introducta adpellandi libertas ad Comitem Palatinum desiisse existimanda sit. Quod si vero amplius quæris, an ab ipso Duce iis temporibus ad Regem adhuc adpellatum sit, ego omnino videndum duco, an eo tempore, de quo quæris, Archi-Palatinatus Regni conjunctus fuit cum Bavariæ Ducatu, an nondum, vel non amplius. Cum enim Archi-Palatinus supremus in Germania semper Judex fuerit (§. XXXVII.) haud facile existimaverim, ab eo jam ad Regem adpellari cœpisse. Quo si vero ea respicis tempora, cum à Bavariæ Ducatu jam disjunctus fuit Palatinatus ad Rhenum, ratio amplius non aderit, cur â Bavariæ Duce adpellatum ad Regem non fuisse, adfirmes.

§. LXXXI.

Ducum judiciaria potestas aucta.

Ac Duces quidem jam iis temporibus

circa interregnum judiciariam potestatem suam insigniter amplificaverant. Constat enim, eos tantum non plerisque exstinctis provinciæ suæ Comitibus Regum indulgentia pactisve de succedendo cum ipsis Comitibus initis, eorum Comitatus obtinuisse.

§. LXXXII.

Monitum.

Ceterum cum inde ab Henrici IV. temporibus superioritas Ducum & Principum territorialis quoque stabilita sensim fuerit, pactis præsertim cum provinciarum suarum civibus initis, quibus effectum est, ut ii cœperint esse Ducum Landsassii, facile crediderim, adpellationes à Ducum judiciis jam olim rariores nunc factas esse rarissimas.

§. LXXXIII.

De Judice aulico.

Friderico II. regnante mutatio quædam in supremo Imperii Judice contigit. Cum enim antea Comes Palatinus ad Rhenum supremus fuerit in regia aula Judex, adpellationes is quoque ad Regem ipsum directas discussit. (§. XXXVII.) At is vero, præsertim cum sub Friderico II. Bavarici quoque Ducatus

tus

tus regimen ipsi incumberet litibus dirimendis amplius vacare nec potuit, nec fortassis voluit. Quapropter Fridericus separatum aulæ suæ judicem constituit, cui de omnibus judicandi potestas esset, exceptis Principibus viris, quando de ipsorum vita, jure, bonis hæreditariis, vel honore disceptaretur. Ea enim ab antiquissimis inde temporibus ipsius Regis & Principum sententia definienda fuerunt. Quæ quidem constitutio an. 1236. in Comitiis Imperii frequentissimis lata reperitur apud *Goldastum* P. II. Reichs-Satzungen p. 20. Verba ab aliis jam, citata ea sunt: Wir setzen auch daß des Reichs-Hoff habe ein Hoff-Richter, der ein Feyherman sy der auch an dem Amt zum mynsten ein Jahre blieben, ob er sich recht und wol behelt. Der soll alle Tage zu Gericht sitzen, an den Sontag und die heiligen Tag: und soll die Leute richten, die ihme clagent, von allen Lüten, ohne Fürsten und ander Hochlüte, wo es gehet an ihr Lybe oder an ihr Recht, oder an ihre Erbe, oder an ihre Ehre, das wollen wir selber richten. Nihil ergo hujus Judicis aulici cognitioni de-

mandatum fuit, nisi de caussis privatis, vel de Comitibus civitatibusque, quæ in Regis domanio essent, si vel prima, ut ajunt, instantia coram Rege actione peterentur, vel de privatis litibus adpellatio ad Regem interposita fuisset.

§. LXXXIV.

Continuatur.

Wilhelmo Comite Hollandiæ adversus Fridericum II. electo Rege, mansit quoque ea Judicii aulici forma, quamvis forsitan exigua polleret auctoritate, nec ob præmaturum Wilhelmi è vita excessum diutius consisteret. Fuit ei Judex aulicus A. Comes de Waldeck. Id enim probant verba ipsa Constitutionis Wilhelmi an. 1258. publicatæ, quæ est apud *Dattium de Pace publ.* L. I. C. IV. p. 22. *Sed coram nobis vel A. Comite de Waldeck nostro Justitiario suas injurias recto judicio & per justam sententiam persequentur.*

§. LXXXV.

Ulterius continuatur.

Quorum exemplum secutus Rudolphus etiam Habesburgicus Imperator, qui post interregni tempus Germanorum solio admotus fuit, eodem modo con-

conſtituit quendam aulæ ſuæ Judicem, notante *Spenro* L. II. J. P. C. X. Cujus inſtituti ratio etiam â ſubſequentibus Imperatoribus ſervata eſt.

§. LXXXVI.

Concluſio.

Vel inde vero adpellationum ejus temporis ad Regem raritas colligi poteſt, quod unus homo iis finiendis ſuffecerit, nec is quidem ab aliis negotiis liber. Animadvertit illud jam *Herm. Conringius* in Diſſ. de *Jud. Vet. Germ.* §. 97.

§. LXXXVII.

Monitum de Comite Palatino.

Tametſi vero, quod jam expoſui, Friderico II. imperante Judici aulico conceſſerit eas partes, quas ipſe antea in adpellationibus cognoſcendis habuit Comes Palatinus ad Rhenum (§. XXXVII.), neque tamen idcirco probabile eſt, ab ipſius quoque Palatini Comitis judiciis ad eum aulæ Judicem adpellatum eſſe, quoniam is poſtea quoque ſupremus Regni Judex haberi non deſiit, quòd non tantum ſpeculum Suevicum multis locis teſtatur, verum etiam inde patet, quod Vicarius quo-

que Regni postea semper extiterit, quam dignitatem ex suprema ejus judicandi potestate manare omnes juris publici Doctores adfirmant.

§. LXXXVIII.

De judiciis compromissoriis.

Interregni temporibus, uti *Conringius* existimat, nova quædam Judiciorum species enata est, quæ fuerunt compromissoria, hac quidem ratione, ut actor reusque compromitterent in quendam, cujus arbitrio causa definienda esset, quamvis ejus jurisdictioni non essent subjecti. Cum igitur ab arbitri sententia, sive laudo, neque Romano, neque naturali jure adpellare, fas sit, ideò neque ab iis judiciis compromissoriis, quæ tunc temporis nondum lege quadam stabilita fuerunt, uti nunc quidem, adpellatio ad alium quendam Judicem fieri potuit. Quæ judiciorum species cum eo tempore maxime usitata fuerit, id quoque sine dubio haud parum ad raritatem adpellationum ad Regem contulit.

§. LXXXIX.

De judiciis duellicis,

Miseranda plane judiciorum totius Ger-

Germaniæ facies fuit, non tantum interregni temporibus, verum & quæ proxime illud antecedunt, dum ſæpiſſime etiam inter homines privatæ ſortis, quæ conſuetudo antiquitus in Germania obtinuit, per ſingularia certamina lites dirimebantur. Ita *Legislator Allemannicus ait: Qualis de ipſis vicerit, ipſe poſſideat illam contentionem & illi alii præſumtuoſi, quia proprietatem contradixerunt, XI. Solid. componant.* Conferatur hoc loco *Dnus Hugo* de *Germ. Rep.* C. IV. § 37. & inprimis D*attius* de *Pace publ.* L. I. C. I. Ac lites etiam ſubortas, vel ſuſpecta crimina, ſi apertiſſimæ probationes deficerent, jurejurando, vel pugnis ſingulorum dirimi diluique, uſu receptum fuiſſe, *Dattius* tradit. Ea judicia vocata ſunt *duellica*, contra quæ civitates imperiales varia â Regibus privilegia acceperunt, ne ipſarum cives ad eas pugnas adigi poſſent. Hac igitur, ut dixi, ratione litibus compoſitis, provocationi ad ſuperiorem Judicem ex Germanorum principiis locus eſſe amplius non potuit. Quid? quod ea certamina inſtar adpellationis quoque fuiſſe, teſtatur.

Auctor *Jur. Prov. Sax. L. II. Art.* 12. *Sententiam inventam si Saxo reprobaverit, deferens eam manui suæ dextræ & multitudini majori consentientium, ipse pugnabit septenus cum sibi similibus adversus totidem, & vincentes sententiam obtinebunt. Victus judici mulctam, & vincenti emendam præstare tenetur. Quod tamen nusquam nisi coram Rege est faciendum.*

§. XC.

De adpellationibus ad Comitia provincialia.

Neque vero illud silentio prætermittendum est, quod *Dnus de Ludwig* in *Comment. ad* A. B. *Tit.* XI. p. 36. se animadvertisse sæpius commemorat â Domini regionis sententiis medio ævo ad Comitia provincialia ab ei subjectis adpellatum esse.

§. XCI.

Adpellationum exiguus usus.

Generatim minus usitatas fuisse, versus Interregnum adpellationes ad Regem, facile quidem *Dno de Ludwig & Spenero* concesserim, non tantum ob eas rationes, quas proxime superiori loco adduximus, verum & propter ea, quæ

quæ §. XLV. & XLVII. adnotavimus. Atque eò facilius is accedet ſententiæ noſtræ, qui exiguam verſus interregnum Imperatorum auctoritatem perpenderit. Addit *Dnus de Ludwig* in *Comm.* ad *A. B.* ſæpius jam citato, ſe quamvis innumera documenta perveſtigaverit, invenire tamen illud non potuiſſe, quod iis temporibus â regionis cujusdam dominorum decretis & ſententiis ad Regem provocatum ſit ab eorum clientibus. Quod quidem ſpeciem veriſimilitudinis præfert, quamvis idcirco omnis adpellationum deſuetudo inde vix certo colligi queat, tum quia non omnium ejus ævi documentorum chartarumque notitiam habemus, tum quod ſic ab aliis extra provinciam noſtram degentibus, ſi quando iis cum noſtris civibus lis interceſſerit, ad Regem adpellatum eſſe, non negetur.

§. XCII.
Adpellationum in Italia ſtatus ſub Friderico II.

Operæ pretium fortaſſis eſt, ut cum jam aliquoties Italiæ mentionem injecerim, oſtendam, quoniam id ſuppetit, quis adpellationum in hoc regno ſta-

status fuerit Friderici II. temporibus, Ibi in unaquaque provincia, sive terræ tractu constitutus fuit Vicarius Cæsaris potestate gladii instructus, ad quem â Judicum istius provinciæ sententiis adpellationes dirigebantur, â quo tamen amplius ad Regem ipsum provocare licuit. Citabo ex *Friderici II. Rescr. I. de Commiss. vicariæ cum potest. gladii*, quod est apud *Goldastum* T. II. *Const. Imp. p.* 51. *verba: Ad audientiam quoque tuam tam in criminalibus, quam civilibus causis adpellationes deferri volumus, quas a sententiis ordinariorum Judicum communi & eorum omnium, qui Ictionem ab imperio sunt nacti, in provincia ipsa videlicet contigerit interponi. Ita tamen, quo sententia tua ad audientiam nostri culminis possit libere provocari nisi vel causæ qualitas, vel adpellationum numerus adpellationis auxilium adimat adpellanti.* Forsitan inde quoque concluseris, adpellationes in Italia frequentiores tunc temporis fuisse, quas in Germania eodem tempore rarissimas diximus. Quæ frequentia adscribenda sine dubio est inprimis Juri Romano, quod in Italia tum quoque viguit, magnoque pretio habitum est.

§. 93.

§. XCIII.

De Spirensium privilegio.

Sequuntur tempora post Interregnum, quæ pacem Germaniæ partim reduxerunt. Ac *Lehmannus* quidem *Chronic. Spir.* L. V. c. 116. & c. 125. adducit privilegium Spirensibus datum â Rudolpho & Adolpho Nassovio Romanorum Regibus de non vocandis civibus Spirensibus in Judicium quoddam Cæsareum extra urbem suam, nisi quando justitia â Magistratu hujus urbis denegata sit. Verba privilegii ea sunt: *Nobili viro Judici Curiæ nostræ inhibuimus & præsentibus inhibemus, quod de eisdem civibus, Spirensibus nulli judicet conquerenti: Sed volentes de iisdem civibus, vel eorum aliquo querelari, ad nos dictus Judex debet transmittere & nos eos ad civitatem Spirensem remittemus, amore vel justitia complanandos. Quod si ibidem factum non fuerit, nos utrique parti exhibere tenebimur justitiæ complementum.* Quod quanquam ad evocationes inprimis pertineat, respiciet tamen quoque adpellationes ob ea, quæ supra (§. XXXI.) notavimus.

§. 94.

§. XCIV.
De Electoribus.

Ac de Coloniensi quidem Archi Episcopo, Bohemiæ Rege, Saxoniæ Duce & Electore Palatino adduxi supra probabiles quasdam conjecturas. Notatu vero hoc loco dignissimum est de Electoribus speciatim consideratis documentum Caroli IV. de anno 1353. quod in *Part.* I. der Nohtwendigen Erinnerung wider die Donawehrtsche *Relation* p. 245. 246. num. 13. exhibetur & â *Dno de Ludwig Comment.* ad A. B. citatur. Ibi enim traditur, Carolo IV. litem quandam ex Palatinatu ad Judicium aulicum suum Spiram pertracturo, opposuisse sese Rupertum Electorem Palatinum, omnibusque Electoribus id juris esse propter dignitatem Electoralem contendisse, ut ne qua ex eorum regionibus causa ad alium Judicem ne adpellando quidem perduci posset. Ei adsensisse Gerlacum Antistitem Moguntinensem & Wilhelmum Coloniensem, Carolumque tandem eò adduxisse, ut sententia sua desisteret.

§. 95.

§. XCV.

Continuatur.

Quæ adpellationum desuetudo si quæras, unde enata sit, mihi quidem ea inde videtur manasse, quod Electores ab antiquis inde temporibus Consiliarii intimi Regis audierint, iidemque jam â Friderico II. in diplomate quodam adpellati sint columnæ imperii septemque lucernæ regni uti *Leibnitius* in *Prol.* ad *Cod. Dipl. Jur. Gent.* ex *Odarico Rainaldo* Baronii continuatore animadvertit. Unde forsitan inolevit opinio, ab his adpellari amplius ad Regem non posse.

§. XCVI.

Quare Carolus IV. eorum jus confirmaverit.

Enimvero si quod jus extraordinarium exercendum esset, nunquam fuerunt satis tuti Germaniæ Principes sola ejus possessione & usu, quamvis etiam maximum licet temporis spatium accederet. Sic Albertus I. Imperator Electoribus Rheni accolis vectigalia ademit, quamvis ea maximo temporis spatio possedissent, quia possessionis suæ titulum ullum adducere non poterant.

Ea-

Eadem ratione quantumvis desuetudo adpellationum jus quoddam de non adpellando concedere possit, quod an possit, sequenti demum Capite exponendum erit, nondum tamen sic securi fuerunt Principes Electores â Cæsarum justa an injusta vexatione. Forsitan enim objecerunt Imperatores, ipsorum quoque tacitæ concessionis rationem in eo jure adquirendo habendam esse. Facile igitur id impetrarunt Electores â Carolo IV, qui omnia eorum gratia faciebat, ut cum celeberrimam istam Auream Bullam promulgaret an. 1356. ea lege omnibus Electoribus certis atque expressis verbis hoc privilegium de non adpellando concederet, ne in posterum dubitandi ratio ulla superesset. Forte id quoque Carolum IV. eò magis ad stabiliendum illud jus adduxit, quod jam tum temporis, cum Romanum jus cœpisset in Germaniam irrepere, Bartolusque ille celeberrimus de Saxo Ferrato esset Carolo ab intimis consiliis, æquarentur Principes Electores Præfectis Prætorio, a quibus cum provocari ad Imperatorem, saltim principio, non posset, idcirco neque

ab

ab Electoribus adpellare ad Imperatorem nostrum fas esset.

§. XCVII.

Salva mansit querela de justitia denegata.

Quamvis vero adpellationis vox apud Germanos querelam quoque de justitia denegata semper continuerit (§. XXI. XXVIII.) id tamen Carolus, si Bohemum removeris, in reliquis Electoribus diserte in Aurea Bulla excepit.

§. XCVIII.

De privilegio Moguntino.

Moguntino postea Archi - Episcopo renovavit hoc privilegium Ferdinandus III. Imperator an. 1654. d. 30. Apr. cum is antea in causis, quæ CCCC florenorum aureorum, ut vocant, summam excederent, adpellationesper miserit.

§. XCIX.

De privilegio Trevirensi & Coloniensi

Archi-Episcopus *Trevirensis* non utitur jure suo, contentus novo quodam privilegio, quod dedit ei Ferdinandus I. an. 1562. ne in causis, quæ D. florenorum aureorum Rhenensium summam non

non attingerent, adpellatio interponeretur. Qua summa contentus etiam diu fuit *Coloniensis* Præsul, privilegio eam ob rem novo â Maximiliano II. Imperatore anno 1570. obtento donec an. 1655. adpellationis restrinxerit ad eas causas, quæ M florenorum aureorum pretium excederent, nec essent feudales, vel in quibus possessio tantum spectaretur.

§. C.
De privilegio Comitis Palatini.

Comes Palatinus post auream quoque Bullam in causis, quæ C florenorum pretio minores non essent, provocationes ad summa Imperii judicia concessit, donec ea summa an. 1541. privilegio novo Caroli V. ad D florenos reducta est, â Maximiliano II. autem an. 1566 ad DC. Atque â Rudolpho II. an. 1578. ad M. florenos. Tandem an. 1652. denuo omne jus de non adpellando restituit Palatino Comiti Ferdinandus III. Imperator, quod diploma est in *Lünigii Archiv. Imperii* T. II. P. III. Sect. II. num. 281. p. 721. 722.

§. CI.

§. CI.

Privilegium Electoris Saxoniæ & Brandenburgici.

Saxoni confirmarunt denuo hoc privilegium Sigismundus an. 1423. & Ferdinandus I. an. 1559. Atque iterum Rudolfus II. an. 1600. Qui quidem, quem postremo loco nominavi, etiam *Brandenburgico* Electori an. 1586. jus istud denuo confirmavit.

§. CII.

De privilegio Brabantino.

Idem Carolus IV. Imperator indulsit quoque Johanni, *Duci Lotharingiæ Brabantiæ & Limburgi* jus de non adpellando, relicta tamen querela de justitia denegata. Quæ constitutio vocatur *Aurea Bulla Brabantina* & promulgata est an. 1349. edita â *Thulemario* in Tr. de *bulla aurea, cerea & argentea.*

§. CIII.

De privilegio domus Saxonicæ.

Sigismundus Imperator cum Saxoni Electori hoc jus denuo confirmaret an. 1423. id extendit quoque ad universam domum Saxonicam. Testatum hoc facit Diploma Ferdinandi I. an. 1559. denuo genti Saxonicæ eum in finem da-

tum cujus verba sunt: Es weren auch unsers Vorfahren am Reich weyland Käyser Siegmunds hochlöblicher Gedächtniß Privilegium vorhanden, damit sein Liebde, als Römischer Käyser die Chur- und Fürsten zu Sachsen sonderlich begnadiget, darinnen versehen, daß niemand des Hauses zu Sachsen Unterthanen für andere Gericht ziehen und laden sollte, welches auch auf die Appellationen, daß dieselben niemand von ihren Gerichten an andere Ort fürnehmen sollte, jederzeit verstanden worden. Equidem in Diplomate Sigismundi ipso, in quod lucem protulit *Lünig* in *Archivo Imperii* T. II. *Part. Spec.* II. p. 258. omnium Saxoniæ ducum mentio non injicitur. Sed tenendum, datum esse hoc privilegium Friderico I. Electori Saxoniæ ad omnes regiones, quas is possedit. Hinc divisione postea facta inter ipsius filios & nepotes, meritò utriusque nepotis stirps in terris, quæ cuique obvenerant, hoc jure usa est, cum id esset privilegium reale (§. CXXIX. C. I.), quod sequenti Capite hujus libelli perlustrato clarius lucidiusque intelligetur.

§. CIV.

§. CIV.

De privilegio Burgundico.

Carolus V. celeberrima illa transactione an. 1548. die 26. Junii Augustæ inita, quam concordiam vocant, *Duci* quoque *Burgundiæ* exemtionem â provocandi jure tribuit, quod forsitan ex bulla aurea Brabantina adducta (§. CII.) jam antea toto Belgio invaluerat usu. Ita enim verba ejus transactionis se habent: Sollen erzehlete unsere Lande, und derselben Unterthanen bey allen ihren Freyheiten, Rechten, Gerechtigkeiten, Exemtion der Appellation und Jurisdiction gäntzlich und ruhiglich gelassen, dawider nicht bedrengt, sondern der Landen Unterthanen und zugehörige mit unser Käyserl. Cammer-Gerichts-Mandaten, citation Annehmung der Appellation und andern Processen unbeschweret und ungefochten bleiben.

§. CV.

De privilegio Wirtenbergico.

Wirtenbergici quoque Duces utuntur eo jure, ne quis ab eorum Judiciis ad Imperatorem, vel suprema Imperii Judicia adpellet. Sunt, quibus id juris manasse videatur ex privilegio Caroli

V. dato Auſtriacis Ducibus, tum temporis quoque Wirtenbergici Ducatus poſſeſſoribus, præſertim cum in eo Diplomate apud *Limnæum* P.V. *Jur. Publ.* C. II. diſerte proviſum ſit de Ducatu quoque Wirtenbergico, ut iisdem utatur juribus, quo reliquæ Auſtriacorum terræ; quod poſtea cum is Ducatus Ulrico Duci reſtitueretur, uſu ſervatum manſerit. Ac vellem ego quidem adſtipulari huic ſententiæ, niſi alia adeſſent, quæ contrariam magis confirmare viderentur. Nam *politica ordinatio*, quæ confirmata eſt an. 1555. expreſſis verbis jus hoc in antiqua & inveterata conſuetudine collocat P. I. *Tit.* Wenn an fremde Gericht möge adpelliret werden §. I. Verba apud *Blumium* in *Proc. Cam. Tit.* XLVII. *Tab.* III. in fine ea ſunt: Wo die Rechtfertigung und Handlung unter den Unterthanen sich haltet, soll keinen Theil gestattet werden, an ausländische Gericht zu appelliren, sondern sollen sie mit der Appellation bey Ihrem nechsten Ober- oder Fürstlichen Hoff-Gericht, welcher unter denen dem appellirenden Theil gefällig, vermög des Fürstenthums Würtenbergs löblichen herkom-

kommens, Freyheit und Landes-Ordnung bleiben. Unde quoque *Besoldus* in antiqua consuetudine jus hoc merito collocat in Tr. de *Appell.* C. II. p. 103. Nescio igitur, an magis amplectenda sit Knichenii conjectura, quam primo loco commemoravimus, an potius fidem mereatur Jus hoc provinciale Wirtenbergicum publica auctoritate editum. Quod si id potius fidem meretur, concidit Knichenii conjectura. Fieri enim non potuisset, ut ex antiqua consuetudine hoc jus venerit, & tamen ex austriaco quoque privilegio profluxerit. Austriaci enim ab anno 1520. usque ad annum 1534. quo Ulrico Duci restitutus est, eum Ducatum possedere. Ordinatio vero allegata Wirtenbergica an. 1555. confirmata jam est. Non poterat igitur antiqua consuetudo adpellari, quæ XXX. circiter annorum spatio constituta sit, atque ita non potuit ex Austriaco privilegio ea consuetudo manare. Ceterum notes quoque hoc velim exemplum privilegii de non adpellando per immemorialem præscriptionem adquisiti.

§. CVI.

Privilegium Lotharingicum.

Ferdinandus I. Rex Romanorum, conventione cum *Lotharingiæ Duce* inita an. 1542. die 26. Aug. concessit ei quoque id juris, ne ab ejus judiciis ad Cameram adpellaretur. Verba transactionis, quæ huc pertinent, ea sunt: Aber sonsten sollen sie aller andern Processe Mandaten und Jurisdiction des H. Reiches, es seyn erster, oder anderer Instanz geübriget, gemäßiget und frey seyn und mit einigen Processen Mandaten, Oration, Appellation, Annehmung und dergleichen unbeschweret gelassen werden und bleiben. Forsitan hæc ultima verba antiquam quoque adpellandi ad Regem ex Lotharingia desuetudinem innuere videntur. Transactio ipsa est apud *Limnæum* L. V. *Jur. Publ.* C. II.

§. CVII.

De privilegio Suecico.

Pace Osnabrugæ composita an. 1648. cum Archi-Episcopatus Bremensis Episcopatusque Verdensis ambo Ducatus fierent, & cum parte Pomeraniæ regno *Sueciæ* perpetuo jure, quamvis clientelari nexu ab Imperio sacro Romano-

Ger-

Germanico traderentur, concessum quoque est huic regno in regionibus illis jus de non adpellando, ita tamen, ut commodo quodam in Germania loco supremum tribunal, quod ultimo loco exciperet provocationes (§. IX.) erigeretur.

§. CVIII.

Privilegium Bavaricum.

Bavariæ Dux cum an. 1623. ordini Electorum insertus esset, ob eam ipsam quidem causam reliqua Electorum jura extraordinaria obtinuit, atque ita etiam privilegium de non adpellando. At majoris forsitan securitatis omnisque dubitationis removendæ gratia, concessit ei quoque speciatim hoc privilegium Ferdinandus III. Imperator an. 1638.

§. CIX.

De privilegio Electoris Brunsvicensis ac Luneburgensis.

Serenissimo Duce Brunsvico-Luneb. Ernesto Augusto ejusq; posteris ad Electoralem dignitatem evectis, indulta quoque iis sunt omnia reliquorum Electorum jura ac privilegia, â Carolo IV. in Aurea Bulla ipsis quondam impertita. In quibus cum & privilegium de non

 ad-

adpellando locum obtineat, (§. XCVI.) id quoque sine dubio, ob ipsam dignitatem novam concessam communicatum cum iis est, quamvis id disertis verbis factum non esset. Ac tametsi Georgius I. gloriosissimæ memoriæ Rex anno 1716. ab Imperatore hodieque regnante Carolo VI. id impetraret, ut separatim ei hoc jus concederet, quod Diploma est in Dni de Ludolf Jure Camerali, id tamen magis contentionem evitandarum gratia factum est, quam quod necessaria quædam ratio juris id suaserit.

§. CX.

De institutis eorum, qui privilegio de non adpell. gaudent.

Etsi vero ab Electoribus ceterisque Principibus Imperii, quibus id privilegii obvenisse, jam diximus, ad Imperatorem adpellare, non sit, tamen, quoniam æquum est, ut inferiorum Judicum in Rep. sententiæ superiori cuidam Judici examinandæ committantur (§. IX.) solent hi Principes supremum quoddam Tribunal instituere, ad quod adpellari possit ab omnibus inferioribus Judiciis. Ea vocari solent Judicia supre-

prema Adpellationum vel Revisionum. Sic Elector Moguntinus instituit supremum quoddam Revisionum Tribunal Moguntii, Elector Saxoniæ supremam adpellationum curiam Dresdæ, Rex Borussiæ, qua Elector Brandenburgicus, Berolini & Magnæ Britanniæ Rex, qua Elector Brunsvicensis & Luneburgensis, Cellis Luneburgicis, ut reliquorum Principum mentionem non injiciam. Ac Suecis quidem cum ratione habita Germanicarum provinciarum jus de non adpellando concederetur, expresse cautum esse Instrumento Pacis Westphalicæ, diximus, quo summam quandam adpellationum curiam commodo in Germania loco stabilirent, (§. CVII.) qui ejusmodi tribunal Wismariæ constitutum habent.

§. CXI.

De Camera Imperii.

Maximiliano I. Germaniæ frenos moderante diu antea agitatum consilium exitum consecutum est optatissimum, instituta Camera quadam Imperii, tanquam supremo Germaniæ Judicio, quod omni Germaniæ, sepulto armorum furore, jus diceret. Ad cujus adsessores

constituendos cum simul cum Imperatore omnes Imperii status concurrant, Judicium hoc non â Rege solo pendet, verum & à statibus totaque Germaniæ Republica. Etsi vero, docente *Dattio* L. IV. *de Pace publ.* C. I. primaria ejus stabiliendi ratio fuit, ut ne publica in Germania pax, sacratissimũ rerumpubl. vinculum diutius impune frangeretur, tamen cum præsertim Judicium istud à statibus quoque penderet, eò facilius permiserunt Imperii Principes iique ipsi, quibus omni dubio excusso jus fuit de non adpellando, ut ab eorum judiciis jam ad hoc supremum in Germania tribunal provocaretur. Atque ea fortassis adest ratio, cur Electores Ecclesiastici cum Palatino ad Cameræ Judicium adpellationes primum permiserunt. Quamvis etiam non improbabile videatur, jus Romanum, quod tunc temporis inundavit Germaniam, effecisse, ut ii Principes Electores adpellationes iterum permitterent.

§. CXII.

De orta adpellationum frequentia.

Eo tempore jam dudum cessaverant judicia, quæ vocata sunt duellica, sive

Cam-

Campionum, (§. LXXIX.) cessavit quoque jam privata vis, & quod vocant jus manuarium. Sed eodem tempore legum Germanicarum simplicitas cessit Legum Romanarum subtilissimarum multisq; sæpenumero dubiis contortarũ agmini quasi irruenti. Invecta est cum hoc jure peregrino, Germanorumque moribus minime adcommodato rabularum copia, enata deinde litium seges, denique invectum est beneficium coram Judice, ad quem adpellaveris, nova deducendi, de quo tot egregia adnotavit Dnus Hugo in libello de abusu adpell. Accessit, quod olim ex Germanorum legibus adpellans, si non vicerit causa, ordinarie nunquam non pecuniæ quandam summam, quam emendam vocarunt, vincenti, mulctam vero inferiori Judici daret (§. XLV.) At hoc etiam invecto Romano jure amplius observatum non est, cum id majoribus difficultatibus involutum esset, & sic facilior venia concederetur adpellanti, quamvis is in adpellatione succubuerit, dummodo nimia in adpellando temeritas non eluceret. Non miranda igitur adpellationum eo tempore

re orta frequentia, quarum mole obrutum jam supremum illud Judicium totius Germaniæ malo gemit, gemetque forsitan, dum hæc Imperii nostra, quæ nunc est, compages manebit.

§. CXIII.

De summa adpellabili.

Ac primum quidem licuit de minima quantumvis summa ad supremum istud tribunal provocare. Qua ratione cum litium cumulo in immensum prope crescente obrui quasi cœpisset Camera, cautum est *Ordinatione Cameræ* P. II. *Tit.* XXVIII. ne intra L. florenorum summam à cujuscunque status Imperii Judiciis ad supremum Imperii tribunal adpellare quis inposterum auderet, quæ summa ad CL. florenos evecta est *Rec. Imp. de* 1570. postea ao. 1600. ad CCC. florenos per *Rec. Deput. de* 1600. §. Wiewol nun ꝛc. tandem vero ad CCCC. Joachimicos *Recessu Imperii de an.* 1654. Quæ tamen summa intelligenda tantum est secundum sortem.

§. CXIV.

De Revisione in Camera.

Illud quidem ex *Ordinatione Cameræ* P. III. *Tit.* LI. satis constat, adpellari ab

eo

eo Judicio non poſſe. Sed ea quidem Ordinatio vocabulo adpellationis uſa videtur Romano more. Vereor igitur, ut idem omnino adfirmari poſſit, ſi tantum ad ea, quæ eſſentiam adpellationis conſtituunt, animum attendas. (§. XI.) Poſſunt enim, qui iniquam hujus Judicii gravemque ſibi exiſtimant ſententiam, petere â Moguntino Pontifice, Archi-Cancellario Imperii per Germaniam, ut ſimul cum ordinum delegatis ad viſitationem Cameræ obeundam, acta denuo revideat. Quod remedium corrigendi iniquitatem hujus Judicii in pronuntiando commiſſam, *Reviſio* adpellatur. Quo facto deponenda tamen eſt pro arbitrio revidentium certa pecuniæ ſumma, quæ, ſi prior ſententia confirmata fuerit, fiſco Imperatoris devolvatur. Quæ omnia proviſa ſunt *Ordinatione Cameræ* P. III. Tit. L. III. §. 12. & *Rec. Imp. de* 1654. §. 125. ſeqq. Summa tamen reviſibilis ſaltem 2000. Joachimicos forte excedat, neceſſe eſt, quæ non ſufficit, ſi nec in cauſis hujus pretii à Status cujusdam Judiciis adpellatio permiſſa ſit, uti eodem *Receſſu Imperii* §. 27. ſtatutum eſt. Conſcri-

scripsit de hac Revisione specialem libellum Benderus Cameræ quondam Adsessor. Cum igitur in Revisione adsit superior Judex, Moguntinus nimirum Antistes Ordinumque delegati, quorum auxilium peti potest contra iniquas Cameræ sententias, Revisio est species adpellationiss, (§. XI.) atque ita si ad hujus essentiam solam respicias, dici vix potest, à Camera plane adpellari non posse.

§. CXV.

De Senatu Imperii aulico.

Ac ne id quidem hoc loco silentio præterire possum, adesse etiam in Germania aliud quoddam supremum Judicium, Senatum scilicet Imperii aulicum, qui Germanorum lingua vocatur Reichs-Hof-Raht, quo etiam à Judiciis Ordinum Imperii provocare, liberum est. Quod quidem tribunal non primum à Ferdinando I. uti nonnulli existimarunt, stabilitum est, sed potius instauratum & majori juris dicundi potestate instructum. Nam qui Carolum V. & Maximilianum I. antecesserunt Reges, habuerunt semper Judicium quoddam aulicum, uti de Rudolfo I. jam

jam notavimus (§. LXXXV.) idque de Carolo IV. Sigismundo & Friderico III. etiam ſatis conſtat. Maximilianus vero tot aliis negotiis itineribusque diſtri-ctus, Carolus bellorum turbis impeditus, vix habuerunt tantum temporis reliqui, ut de judicio iſto conſtituendo denuo cogitarent. Ac vocatum quidem eſt hoc Judicium, Friderici III. temporibus, interdum quoque Camera Imperialis, das Kayſerliche Hof-Cammer-Gericht.

§. CXVI.

De Supplicatione in Senatu aulico Imp.

A Senatu Imperii aulico adpellare non licet. At licet parti, cui gravis eſt hujus Judicii ſententia, ad Cæſaream Majeſtatem ſupplicare, ut quæ in judicio acta ſunt, adhibitis eam ob cauſam aliis, gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis, ac pro qualitate rerum etiam ex utraque religione æquali numero Conſiliariis & qui concipiendæ & ferendæ priori ſententiæ non interfuerint ſaltim referentium & correferentium partes non ſuſtinuerint revideantur. Verba recitavi *Inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis Art*. V. §. 54.

§. 117.

§. CXVII.

De privilegio Ducum Brunsvicensium.

In causis, quæ CCCC. Joachimicorum pretium sorte excedant, adpellari ad suprema Imperii Tribunalia ab Ordinum judiciis ex regula posse, supra docui. (§. CXIII.) At complures vero tam ex Principum ordine, quam ex Civitatum subselliis à variis Imperatoribus id obtinuerunt, ut aliquando etiam in majoris pretii causis ad Cameram Imperii provocari non possit. Sic Ferdinandus III. Imperator anno 1648. indulsit hoc privilegium *Serenissimæ Genti Brunsvico-Luneburgensi*, ne in causis, quæ ad possessionem tantum pertinerent, 2000. aureorum florenorum summam sorte non excederent, neque in debitis liquidis provocatio ab iis instituti possit ad Cameram. Quæ summa Joachimicis comparata, $2222\frac{2}{9}$. Joachimis æqualis est. Ea Ferdinandi concessio data de 24. Nov. 1648. adnexa est *Ordinationi Cancellariæ Judiciique provincialis Guelferbytani*, itemque ordinationi Judicii Provincialis Cellensis. Ante hæc tempora Duces Brunsvicenses Guelfertytani quidem ex privilegio de 1562. in causis infra CCC.

au-

aureorum, Luneburgenſes ex privilegio de an. 1566. in litibus infra CCCC. aureorum Rhenenſium ſummam adpellationes non admiſere, quæ diplomata ſunt apud *Gylmannum* T. VI. *Symphor.* C. IV. p. 101. quod privilegium poſtea an. 1578. ad DC. aureos determinatum fuiſſe, ajunt. Conf. *Gilhauſen* in *arb. Judic.* P. III. C. 8. p. 600. & *Dnus de Ludwig* in *Comm. ad A. B.* ex quo hæc deſumſimus.

§. CXVIII.

Privilegium Brandenburgicum.

Electorem Brandenburgicum, ſeu *Regem Boruſſiæ* privilegium à Leopoldo I. conſecutum eſſe, conſtat, ne ex regionibus ipſius noviter quæſitis, dignitatique Electorali non conjunctis infra ſummam 2500. aureorum florenorum, neque in cauſis poſſeſſionem reſpicientibus, ſi petitorium reſervatum ſit, ad Imperii Tribunalia adpellare liceat.

§. CXIX.

De privilegio Marchionum Brandenburgenſium & Ducum Holſatiæ.

Marchiones Brandenburgicos itidem ex Cæſarum conceſſione jus habent pro-

hibendi, ne in caussis, quarum pretium non attingit DCCC. florenorum Rhenensium, sive in ratione ad Joachimicos, 888 8/9. Joachimicorum summam, quispiam ab ipsis provocare audiat. Commemorat hæc Dnus *Bilderbeckius* im Teutschen Reichs-Staat. Quod jus etiam *Holsatiæ Duces* ex Maximiliani II. concessione de an. 1570. acceperunt in caussis, quæ D. aureorum Rhenensium pretium sorte non superarent, quæ concessio est in *Ant. Fabri* Staats-Cantzley P. LIII. p. 579. seqq. Sed *ordinatione*, postea *Judicii Provincialis* à Ferdinando III. an. 1641. confirmata M. aureorum florenorum summa, infra quam adpellare plane non liceat, statuta est P. IV *Tit.* I. §. I. cum jam antea ex privilegio Ferdinandi II. de d. 14. Jul. 1621. ab aulico Principis judicio infra eandem summam adpellare non licuisset.

§. CXX.

De privilegio Hassiaco & Juliacensi & Mecklenburgico.

Hassiæ Landgravios itidem privilegio quodam in adpellationibus gaudere, *Casselanos* quidem ex privilegio Ferdinandi III. de d. 26. Aug. 1650. siqua lis

M.

M. *Darmstadienses* vero in eadem summa privilegium jam à Ferdinando II. an. 1631. accepisse, *Ill. Dnus de Ludolf* refert. Sed obtinuerunt quoque *Juliacenses Duces* ex Maximiliani II. privilegio de d. 29. May 1566. jus, ut si qua causa DC.florenorum Rhenanorum pretium non excederet, itemque in possessoriis judiciis ad Imperii Tribunalia non liceat adpellare. At eximium quoque Ducum Mecklenburgicorum Privilegium, ne in causis, quæ 2000. florenorum Rhenensium, sive 1000. aureorum summam non attingant, ad Imperii Tribunalia provocetur, commemorat *Ill. Dnus de* Ludolf in Catalogo Privil. de non adpell. Indulsit id Ferdinandus an. 1651.

§. CXXI.
Privilegia alia.

Neque desunt reliquis ex Principum ordine privilegia circa adpellationes. Ac Ost-Frisiæ quidem Principes privilegio ad 1000. flor. Rhen. Oldenburgici Comites ad 1000. aur. flor. summam determinato gaudent. Principes vero Schwarzenburgici prohibent, ne in causis momentaneæ possessionis, debitis-

que liquidis & generatim, siqua lis 1000. flor. Rhen. non excedat, ad Imperii Judicia adpelletur. Adsunt demum ex ipso Comitum numero Comites Rutheni, qui in causis 400. aur. flor. Rhen. vel possessionem spectantibus, si petitorium judicium reservetur, itemque Ranzovii Comites, qui in litibus infra 500. aureorum flor. Rhen. summam, adpellationes prohibent. Quæ cuncta refert *Dnus de Ludolf* in Catalogo Privil. de non adpell.

§. CXXII.

Alia privilegia.

Subjiciam demum ex Principum Ecclesiasticorum numero *Episcopum Herbipolitanum*, qui Rudolpho II. concedente in causis 1000. aur. flor. Rhen. pretium non attingentibus provocationes interdicit. Quo jure *Tridentinus* quoque in 400. aur. flor. causis gaudet, *Ludolfo* tradente.

§. CXXIII.

Privilegia quarundam civitatum.

Ex civitatium quoque subselliis *Colonia Agrippina* eo privilegio insignita est, ut ne ejus civibus provocare, fas sit ad Imperii Judicia, nisi in causis supra 700. au-

aureos florenos Rhenenſes. Quo jure etiam *Hamburgum* utitur, exceptis commerciorum cauſis, in quibus provocatio omnis ceſſat. *Auguſta Vindelicorum* idem ſibi jus vindicat, niſi plus 600. florenos aureos Rhenenſes poſcatur, itemque *Norimberga* interdicitur civibus provocatio eadem ratione, ita ut ne nullitatis quidem querelæ locus ſit in minore ſumma. Denique *Lubecenſibus* conceditur provocatio, ſi 500 aureis florenis majorem ſummam judicio perſequantur. Deſumſimus hæc itidem ex *Jll. Dni de Ludolf* Catalogo Privil. de non adpell.

§. CXXIV.

De Reviſione.

Etſi vero generatim in cauſis, quæ ſecundum ſortem CCCC Joachimicorum ſummam non excedunt, adpellatio â Procerum Statuumque Imperii judiciis ad ſuperiora Imperii Tribunalia permiſſa non ſit, (§. CXIV.) tamen *Receſſu Imperii de an.* 1654. §. 113. aliud quoddam remedium, iniquitatis judicantium tollendæ gratia, ſalvis Procerum contrariis privilegiis & conſtitutionibus ſuppeditatur. Nimirum petente eo, qui ſententiam gravem ſibi exiſtimat, omnia,

quæ in ea causa acta sunt, præcedente inrotulatione, ut ajunt, coram partibus vel eorum Mandatariis â Magistratu traduntur Jureconsultis quibusdam ab omni partium studio alienis revidenda, vel ad academiam quandam omni suspicione vacuam, aliudve Collegium Juridicum transmittuntur, eorumque sententia legibus conformis exigitur. Hoc remedium adpellatur Revisio.

§. CXXV.

De adpellatione in causis criminalibus.

Illud quidem, quod superest, satis constat, adpellationes apud majores nostros nequaquam in causis atrociorum criminum, sed tantum in civilibus levioribusve delictis locum habuisse. Ita sanxit L. VII. *Cap.* 129. *In civilibus causis & levioribus criminibus legibus dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, malefici convicti, si adpellare voluerint, non audiantur.* Citabo etiam verba ex *Jure Provinc. Sax. L. II. Art.* 12. Wird ein Mann gefangen um Ungericht und vor Gericht bracht, er mag kein Urtheil schelden. Quam consuetudinem semper etiam in Germania usu viguisse, testatur

tur Imperator Carolus V. in Constitutione Criminali, qua denuo illud jus, quo semper usi fuerant Status Imperii, confirmatum est.

§. CXXVI.

Dubium Schilteri removetur.

Aliud obtinuisse Jure Allemannico existimat *Schilterus Append. Exerc.* 49. *ad* ff. motus c. 138. *Jur. Allem.* verbis: Von welcher Hand das Gericht gehet, da mag man ein Urtheil wol hinziehen. Die erste Hand des Gerichts ist der König, die andre Hand des Gerichts, das ist der, dem es der König leihet, die dritte, dem es die andre leihet. Die dritte Hand mag nimmer Gericht fürbaß leihen, da es den Leuten an ihren Leib gehet, oder an ihr Blutvergiessen. Wer es darüber thut, er wird schuldig an allen, den über die vierte Hand richtet. Sed primum his verbis diserte non adfirmatur, adpellationes in criminibus capitalibus admissas esse. Quod ideò ob adductum Capitulare eò minus probabile nobis videtur, quoniam hæc Capitularia Regum Francorum præsertim in superiore Germaniæ parte diutissime usu servata sunt, prouti partim quoque

ostendit *Spenerus* in *Jur. Publ. Prud.* L. II. C. X. §. 8. Quid? quod hoc inprimis Capitulare etiam in ipsa Saxonia servatum est. (§. CXXV.) Quod si de adpellationibus tamen intelligi malles, nec dum nostra sententia contentus es, concedo, Rege in urbe quadam vel provincia præsente, ad ipsum Jure Allemannico adpellari potuisse, neutiquam vero eo absente. Conferas hic quoque, quæ superiori loco (§. XL.) notavimus. Vel si placuerit, ita etiam explicare poteris, ut cognatis ejus, qui iniqua Judicis cujusdam sententia mortem perpessus fuerat, licuerit de injusta hac sententia apud Regem conqueri, ut Judici pœna infligatur, adeòque sententiam hujus Judicis adhuc post interemti mortem superioris disquisitioni submittere. Licuit enim interfecti cognatis mortem ejus vindicare, atque contra occisorem faidam, sive simultatem apertam, uti Dattius explicat, exercere, nisi is amicabili ratione cum iis transigeret, de quo exstant Capitularia apud eundem L. I. C. I. de *Pace publ.* Id quod procul dubio etiam licuit contra Judicem, cujus sententia injusta quis interfectus fuerat.

Ipsa

Ipsa ceteroquin etiam verba *Juris Allemannici*: Wer es darüber thut, wird schuldig an allen, den über die vierte Hand richtet, indicare videntur id, quod modo adfirmavimus. Quo facto si adpellationes ad concedentem permissæ fuissent, ipse iniquitatem delegati judicis in judicando corrigere potuisset.

§. CXXVII.

Cur in criminalibus non adpellatum.

Enimvero videri hoc multis tanquam minus consideratum providumque existimo, quod in causis civilibus levioribusque criminibus adpellationes admiserint Germani, in iis, quæ ipsam hominum vitam respiciunt, prohibuerint, cum capitis humani pretium longissime anteferendum sit quantumvis maximæ pecuniæ summæ. Indaganda igitur est ratio, quæ majores nostros, ut ita existimarent, induxerit. Nimirum præclare intellexerunt sagacissimi Franci nostri, nihil esse, quod ad salutem tranquillitatemque reip. conservandam plus conferat, quam si pœna in delicta legibus statuta, mora nulla interposita, ad executionem perducatur, dum re-

cens adhuc in animis hominum verſatur criminis memoria, ne diutius protracto ſupplicio, alii perſuadeant ſibi forte nullam huic delicto pœnam irrogatum iri, vel ſaltim inani ſpe lactentur, ſupplicium, quod tam diu differtur, effugiendi, mitioremve pœnam ſuſtinendi.

§. CXXVIII.

Cautela obſervata.

At ut ea quoque judicia iniquitate & injuſtitia vacarent, providerunt iidem majores noſtri, ne quis ſupplicio adficeretur niſi convictus. Conferatur jam ſupra (§. CXXV.) adductum *Capitulare.* Quem quidem morem hodieque uſu ſervari conſtat. Quod ſi quis convictus non eſſet, ſuſpicio tamen in eum conveniret, hæc ſolenniter purganda atque hoc facto innocentia uniuscujusque declaranda fuit. Eam ob cauſam pugnæ ſingulares & Campionum judicia apud majores noſtros viguerunt, obtinuit etiam aquæ frigidæ judicium aliique purgandi & convincendi modi, qui omnium fortaſſis optime expoſiti ſunt â *Jo. Phil. Dattio* in Tr. de *Pace publ.* L. I. C. I. Qua in re quanquam nimium for-

forsitan sorti tributum fuerit, facileque iniquitatis multum admisceri potuerit, superstitio tamen eorum temporum effecit, ut persuaderent sibi majores nostri, eos optimos esse convincendi modos, qui tribuerentur sorti.

§. CXXIX.

Quando in criminalibus adpellare, licuerit.

At quamvis in criminalibus causis adpellationes ab Ordinum Imperii judiciis ad Superiora, quæ Cæsar & Imperium fovent, fieri nequeant, tamen jam Capitularibus Regum Francorum cautum est, ut si nulliter procedat Judex, liceat ad alium Judicem adpellare. *Capit.* L. VII. c. 178. *Judices observare debent, ut liceat litigatori, vitiatam causam adpellationis remedio sublevare. Et adpellatores nec in carcerem redigantur, nec â militibus faciant custodire, sed agendum negotium suum liberi observent; nec etiam in supplicium destinatis adpellandi vox denegetur.* Notes hic velim verba *vitiatam causam.* Inde enim illud elucere puto, quod tantum, si nulliter processerit Judex, adpellari potuerit, quia sic causa vitiata est. Aliter enim si hoc Capitula-

lare interpreteris, pugnaret id cum adducto C. 129. L. VII. Ac id quidem *Ordinatione* quoque *Cameræ* P. II. *Tit.* XXVIII. §. 5. denuo statutum est, ut si nulliter processerit inferior Judex, querela ea de re in Camera Imperii institui possit, ita ut hæc, si nulliter processum cognoverit, modum Judici inferiori procedendi præscribat.

§. CXXX.

De judiciis Westphalicis.

Ultimo loco monenda quædam sunt de *Judiciis Westphalicis*, quæ nostro sermone adpellata sunt Fehm-Gerichte, & quod maxime accedit vero, â Carolo M. originem suam trahunt. Fuerunt judicia, quæ de criminibus capitalibus, inprimis si quæ ad hæresin & apostasiam pertinerent, judicandi potestatem acceperant. De quibus præcipue consulendus est *Dattius* in Tr. de *Pace publ.* L. IV. C. 2.

§. CXXXI.

De Frigraviis

Judices in iis Judiciis vocati sunt *Frigravii*, qui Comitiam suam jure feudi â Cæsare & imperio tenuerunt. Unde se *nomine totius Imperii & vice sacræ ju-*

judicare gloriati ſunt in *Documento Bœcleriano de Vitechindo M.* uti citatus *Dattius* commemorat L. IV. C. III. pag. 740. Idem quoque adfert literas inveſtituræ â Friderico III. Imperatore Gerhardo Comiti Segnenſi datas, in quibus hæc verba ſunt notatu digna: **Daß du an unſer Statt von unſer und des Heil. Reichs wegen, und als unſer und des Heil. Reichs Stadthalter bis auf unſere fernere Geſchäffte und Wiederrufung darob ſeyeſt.**

§. CXXXII.

De eorum Jurisdictione.

Evenit, ut poſtea latiſſime extenderent Jurisdictionem ſuam, vel quod ſe Imperii ſacra vice judicare gloriarentur (§. CXXXI.) vel quoniam ea judicia ſingulari antiquitatis & ſanctitatis verecundia eſſent conſpicua.

§. CXXXIII.

Continuatur.

Ac *Dattius* quidem refert L. IV. C. IV. p. 758. in cauſis denegatæ juſtitiæ, vel juris protracti, Actori liberum ſemper fuiſſe, ut reos in foro quodam Weſtphalico conveniret. Unde factum eſt, ut

ut aliquando actor præstito jurejurando his judiciis renuntiaverit.

§. CXXXIV.
An ab iis adpellatum sit.

Cum igitur hæc judicia criminalia essent, in criminalibus vero causis nunquam provocatio concessa antiquitus fuerit (CXXV.) in Judiciis etiam Westphalicis adpellatio permissa non fuit. Patet hoc quoque ex *Reformatione Coloniensi Sigismundi Imperatoris*, ubi *Cap.* XVIII. omnino negatur, adpellari ab his Judiciis potuisse, nisi Scabini in partes discesserint, aliis aliam sententiam adprobantibus, neque inter se de sententia quadam convenerint, wenn zwey Urthel in dem Gericht zweischellig gewiesen oder gescholten worden. In MS. quodam veteri alium quoque casum exprimi Dattius ait: Item, dis sind die zwey Stück, davon man von einem zu dem andern Gericht appelliren mag. Nemlich: ob das geschehe, daß in dem Gericht ein zweifelhafftige und wiederwärtige Zeugniß gezeugt, geweißt und gesagt fürkäme. Oder ob die Urthel der Freyschöpffen und Richter der heimlichen

chen Acht gespalten, nit einhellig und zugleich in der Umfrag der Urthel stünden, und kein Theil dem andern weichen wolte. Quid sit causa posterior, explicat *Dattius* L. IV. C. II. p. 36. Ceterum id quoque confirmat, quæ supra (§. XXV.) tradidi, querelam nullitatis comprehensam esse adhuc Sigismundi tempore sub voce adpellationis.

§. CXXXV.

Quo adpellatum.

Ceterum ex verbis MS. hujus veteris antecedenti §o adductis liquet, etiam iis in caussis adpellationes ad Regem factas non esse, sed ad aliud judicium Westphalicum. Id enim indicare videntur verba: Diß sind die zwey Stück, davon man von einem zu dem andern Gericht appelliren mag. Conferatur quoque de his Judiciis *Christ. Thomasii Diss. de Judiciis Westphalicis.*

CAPUT

non adpellando præditus eſt, prohibendi jus habeat, ne ad ſuperiorem Judicem, qui adeſt, adpellari poſſit, efficitur inde, ut hic jure aliquo ſpeciali & extraordinario gaudeat. Hinc jus de non adpellando eſt privilegium favorabile (C. I. §. XC.)

§. IV.

Etiam in Germania.

In Germania ab ordinum Imperii Judiciis ex regula ultimo loco adpellari poteſt ad duo ſuprema Imperii Tribunalia. Hinc ſi qui ordinum jus de non adpellando poſſident, quos quidem antecedente Capite ſigillatim percenſuimus, id extra ordinem iis competit, ideòque privilegium favorabile eſt etiam in Germania.

§. V.

De ſubditorum obligatione.

In omni privilegio adeſt aliorum obligatio. (C. I. §. XCII.) Privilegium igitur de non adpellando cum in jure adpellationes ſubditorum prohibendi conſiſtat, ii ſic obligati ſint, neceſſe eſt, ne ad ſuperiorem judicem adpellent.

§. VI.

Quando limitatum vocetur, quando illimitatum.

Dum â quibusdam Imperii Statibus intra certam tantum pecuniæ ſummam adpellari non poteſt, (C. II. §. CXVIII. ſqq.) jus hoc de non adpellando interdum limites quosdam accipit, quod propterea vocatur *limitatum*. Qui limites cum plane non adſint in aliis, â quibus plane adpellari nequit (C. II. §. XVI. ſqq.) jus hoc ſic adpellari ſolet *illimitatum*.

§. VII.

An a majeſtate adpellari poſſit.

Cum majeſtate majus nihit reperiatur in Republica, eo etiam, in quo majeſtas reſidet, majus nihil in omni Republica deprehenditur, ideòque nec ſuperior Judex. Hinc ab ejus in Rep. decretis, penes quem imperium eſt, adpellari ad neminem poteſt (C. II. §. XI.) Propterea vero haud dixerim, jus de non adpellando majeſtati competere, cum jus de non adpellando contineat notionem ſuperioris cujusdam Judicis. (§. I.)

§. VIII.

§. VIII.

Sententia Dni de Ludwig.

Adeſt *Jo. Petrus a Ludwig*, qui in *Commentario* ad *Auream Bullam*, itemque in libello. quem *Germaniam Principem* inſcripſit L. III. C. IV. §. 32. p. 185. exiſtimat, Electores Germaniæ jam ante Auream Bullam promulgatam, jus de non adpellando ex ipſa ſuperioritate territoriali habuiſſe. Cujus ſententiæ veritatem quo melius indagemus, exponendum primum nobis eſt, quid ſit ſuperioritas territorialis, tum an Caroli IV. auctoris Aureæ Bullæ tempore ad id culmem jam provecta fuerit ea ſuperioritas, ut propterea jus de non adpellando ſtatibus Imperii fuerit.

§. IX.

Quid ſit ſuperioritas territorialis.

Superioritas territorialis eſt ſuprema poteſtas, omnia in regione quadam disponendi, quæ ejusdem publicam ſalutem tranquillitatemque conſervant, vel amplificant, Legibus Imperii fundamentalibus limitata.

§. X.

Illuſtratur.

Majeſtas cum ſit illimitata poteſtas ſalu-

lutem tranquillitatemque Reip. tuendi, (C. I. §. XXXVII.) superioritas territorialis eo tantum â majestate differt, quod legibus Imperii fundamentalibus hæc potestas limites quosdam acceperit, ideoque *majestatis* ἀναλογα â Juris Publici Doctoribus dicitur. Poteras etiam idcirco vocare majestatem legibus imperii fundamentalibus limitatam.

§. XI.

Quæ jura contineat.

Cum superioritas territorialis sit majestas legibus Imperii fundamentalibus limitata, (§. X.) ex majestatis vero natura & essentia omnia jura majestatica, sive regalia, quæ in Politica exponuntur, largissimo alveo profluant, (C. I. §. XXXVI.) eadem jura quoque ex superioritate territoriali emanant, nisi quorundam jurium exercitium limitatum sit legibus Imperii. Hinc superioritas territorialis omnia jura majestatica complectitur, nisi leges Imperii in quodam jure limites designent.

§. XII.

Præsertim ex moribus Germanorum.

Illud quoque patet, cum nos de Germa-

mania ſermonem inſtituamus, ſuperioritatem territorialem complecti ea etiam jura regalia omnia, quæ moribus Germanorum majeſtati ſunt adſcripta. (C. I. §. XXXIX) Omnis enim, quæ apud Germanicas gentes exercetur, majeſtas, ea jura ex iſtius populi inſtituto ſecum conjuncta habet.

§. XIII.
Monitum.

Ea vero limitum poſitio, quæ in ſuperioritate territoriali occurrit, non impedit, quin præſertim Electores Imperii, quorum poteſtas minoribus circumdata terminis eſt, quorum quoque quidam terras poſſident, regni cujusdam ambitu haud minores, nec opibus ſæpe infirmiores, Regibus comparentur. Neminem enim, ut arbitror, fugit, Regum etiam plerorumque in Europa poteſtatem limitibus non vacare.

§. XIV.
Debetur jure hæreditario.

Ea ſuperioritas territorialis debetur Principibus Imperii jure hæreditario, quatenus ii deſcendunt ab eo, in quem primum id dignitatis & potentiæ colla-

tum fuit, eodem modo atque in regnis hæreditariis niſi quod fœminæ ex regula excluſæ ſint. Habenda tamen etiam hic eſt ratio inprimis pactorum familiarum & conſueti in iis regionibus ſuccedendi modi. Unde ſi jam jus primumgenitorum familiæ cujusdam pactis ſtabilitum ſit, primum quoque genitus tantum ſuccedit. Ita quoque ſi ea provinciæ conſuetudo adſit, fœmina deficientibus maſculis ſuccedit.

§. XV.

Confirmatur ab Imperatore.

Solet tamen hæc poteſtas, quæ jam ipſo jure hæreditario competit, adhuc ſoleniter per inveſtituram quandam â Cæſare confirmari. Quæ inveſtitura & propter eas terras præſtanda belli ingruente tempeſtate ſervitia id efficiunt, ut feuda adpellentur regiones ſtatuum Imperii, iique terras ſuas clientelari nexu â Cæſare, vel potius Imperio recognoſcere dicantur. Eo vero vinculo clientelari nihil aliud declarant Principes, quam uſuros ſe poteſtate ſua ſecundum Leges Imperii, & cum Cæſare totoque Imperio Germanico in ſocietate quadam & fœdere permanſuros.

§. XVI

§. XVI.

Monitum.

Illud ceterum ad poteſtatem & ſuperioritatem in territorio ipſam augendam minuendamve nihil confert, ſitne illa Principi â populo ſuo collata, an ab Imperio & Cæſare ſolenni quodam ritu per inveſtituram confirmata, quæ jam antea jure debita fuit. Nam etiam â populo tradita hac poteſtate maneret ejusdem limitatio legibus Imperii fundamentalibus introducta, quoad iſte populus eave regio cum toto Germaniæ Imperio eadem compage juncta manet.

§. XVI.

De gradibus ſuperioritatis.

Ceterum quoniam limites, quibus circumdatur ſuperioritas territorialis, vel ampliari, vel reſtringi poſſunt, aliterque poni, gradus hoc modo ſuperioritatis territorialis adeſſe poſſunt, qui vel intenduntur vel minuntur, limitibus ipſis aliter determinatis. Ac primum quidem illud certum eſt, legibus Imperii fundamentalibus minores Electorum poteſtati terminos circumſeptos eſſe, unde certe majori gradu renidet in E-

lectoribus illa superioritas, quam in reliquis Germaniæ Proceribus. Tum etiam cujusque in Germania provinciæ statutis alii limites ei potestati circumscribi possunt, prout nimirum Statuum ejus provinciæ consensus in exercitio jurium quorundam regalium accedere debet. Quod cum in unaquaque fere provincia aliter determinari queat, gradus etiam superioritatis in ejus regionis Principe variare possunt. Maxima vero limitatio adest in plurimorum Principum Ecclesiasticorum potestate, unde profecto minor eorum superioritatis gradus est, quam reliquorum Principum, sed universa divisa est inter ipsos Principes Ecclesiasticos & Capitulum.

§. XVIII.

Gradus ii non semper iidem fuerunt.

Eodem modo quo jam gradus superioritatis territorialis non iidem sunt, iique vel augeri vel minui possunt, ita neque semper idem gradus hujus superioritatis penes Ordines Imperii fuit. Gradus eos successu temporis adauctos subinde esse, historia Imperii nostri satis docet. Nostrum jam non est, eorum sen-

ſententiam refellere, qui jam Conradi I. temporibus plenam ſuperioritatem territorialem Statibus Imperii competiiſſe, exiſtimant, id quod jam dudum factum eſt à ſummis Viris, *Hertiis*, *Gundlingiis*, *Speneris*. Tantum de jure metallifodinarum quædam in medium adducam. Jus hoc ex Germanorum ſententia nunquam non regale exiſtimatum fuit, quod majeſtati competeret (C. I. §. XXXIX.) et jam quoque ſuperioritati territoriali, ex qua id profluat, vindicatur recte. Nihilo tamen ſecius id olim Ordinibus Imperii non niſi ex ſpeciali Regis conceſſione, vel uniuscujusque longa ſeu potius immemoriali poſſeſſione competiit. Sic Marchiones Miſniæ, Comites Ruthenos itemque Epiſcopos Mindenſes id juris ex Regum ſpeciali conceſſione & inveſtitura olim exercuiſſe, conſtat. Qua conceſſione cum Bohemus non gauderet, neque in ejus forſitan juris diuturna poſſeſſione eſſet, Albertus I. metallifodinis in Bohemia detectis, id juris negavit Bohemo, ſibique tanquam Regi vindicavit, cui id ab antiquis inde temporibus ſoli tribuerant Germani. Sed ne Carolo IV. qui-

dem regnante omnes eo jure regali Principes gaudebant, verum Electoribus id privilegii tributum eſt in Aurea Bulla, omnium Statuum conſenſu publicata.

§. XIX.

De Caroli IV. tempore.

Ac Caroli IV. quidem tempora ſi univerſim cum hodiernis noſtris conferas, facile arbitror concedes, nondum tunc attigiſſe ſuperioritatem territorialem Principum, ſi generatim ſpectetur ſecundum ea jura, quæ tunc ordinarie cum ea conjuncta fuerunt, eum gradum, quem jam attigit. Notum eſt etiam tironibus Juris Publici Germanici, in celeberrima iſta Aurea Bulla Caroli IV. varia Electoribus eximia jura regalia conceſſa fuiſſe, inprimis jus metallifodinarum, jus de non adpellando evocandoque. Quod ſi igitur ea jura jam ex ſuperioritate territoriali penes eos fuiſſe, adfirmas, cur, quæſo ſpeciatim iis privilegii inſtar conceſſa ſunt? Res inutilis hoc modo videtur acta eſſe. Nam alioquin omnia reliqua jura regalia, quæ ſuperioritate continentur, ac jam tunc temporis contenta fuerunt, eodem

dem

dem iis modo ab Imperatore ſpeciatim concedenda fuiſſent.

§. XX.

An ſuperioritas contineat jus de non adpell.

Generatim vero difficile eſt, adfirmare, Jus de non adpellando ex ſuperioritatis territorialis notione manare. Equidem ſuperioritatem territorialem eſſe majeſtatis ἀναλογάν, omniaque jura majeſtatica complecti, niſi quoddam legibus Imperii ſpeciatim exceptum ſit, ſupra diximus. (§. XI.) Ab eo itidem, in quo majeſtas relucet, in Republica amplius adpellari poſſe, propterea negavimus, (§. VII.) quia in civitate non inveniatur major eo, penes quem majeſtas eſt. Enimvero terræ Germanicæ non tantum ſingulæ ſubjectæ ſunt domino territoriali, qui majeſtatica in iis jura exercet, ſed etiam quamvis remotiori & laxiori quadam ratione ſubjectæ ſunt Imperio & Impeatori, ideòq; adeſt ſuperior Judex, Cæſar & Imperium, quorum nomine ſuprema Imperii Tribunalia jus dicunt. Hinc ceſſabit ratio, ob quam â Principe Germaniæ ex regula adpellari non poſſit. Atque hinc quoque difficile eſt, Jus de non ad-

adpellando ex superioritatis territorialis natura derivare.

§. XXI.

De adquisitione hujus privilegii per pactum cum subditis.

Universos regionis cujusdam cives repræsentant Status provinciæ. Quidquid ii adprobant, id omnes quoque ejus provinciæ cives adprobasse censentur, quidquid ii faciunt, hi fecisse. Cum igitur ex pacto cum civibus inito privilegium adquiri possit, dum ii renuntient juri suo in cujusdam gratiam, quod solum ipsorum commodum respexit, isque hoc accipiat atque hoc mode speciale quoddam jus consequatur (C. I. §. XCIV.) status etiam ejus regionis nomine & vice omnium subditorum juri huic adpellandi renuntiare possunt, ne in posterum â principis sui judiciis ad suprema Imperii Tribunalia adpellent subditi. Princeps id accipit. Atque idcirco ex hac conventione cum subditis inita speciale jus & privilegium consequitur. Dum itaque prohibere quisque potest, ne violet alter promissionem suam pactumve, dum facit, quod facturum se non esse, promiserat, Princeps

ceps quoque hac ratione prohibere potest, ne adpellent subditi ad Imperii Tribunalia, quoniam aliter promissum violarent suum idque facerent, quod se non facturos, promiserant. Cum igitur jus prohibendi, ne ad superiorem adpelletur Judicem efficiat jus de non adpellando, (§. I.) Princeps hoc modo jus de non adpellando accipit.

§. XXII.

Objectio diluitur.

Audio te mihi objicientem, quæ à nobis ipsis supra. (C. I. §. LIV.) stabilita sunt, ut nemo scilicet in alterius detrimentum atque incommodum juri suo renuntiare possit. Ego vero quod Imperatoris incommodum inde oriatur, haud equidem intelligo. At est enim Cæsar superior in Germania Judex, quam ejus nomine potestatem exercent Imperii suprema tribunalia. Sed manebit etiam postea superior Judex, exercebunt etiam postea ejus nomine & vice suprema Imperii Tribunalia eam potestatem. Manebit igitur superior Judex Cæsar? at quomodo? nisi tu enim id luce clarius demonstres nobis sententia tua concidet cum fragore. Bona ver-

ba quæso & videbis manere Cæsarem superiorem Judicem, servari Jurisdictionem ipsam Imperii Judiciorum. Possunt igitur legum in Germania publicarum observationem tueri, quoties quid committitur contra eas leges ab Ordinibus Imperii, possunt in causis fractæ pacis publicæ evocare subditos eorum Principum, qui non gaudent jure de non evocando, cognoscent etiam de causis civilibus Ordinum & Nobilium Imperii. Libera quoque propterea manet querela de justitia denegata, sive jure protracto. Anne igitur sic manet superior Judex Cæsar? anne retinebunt Jurisdictionem suam Imperii Judicia? Quis neget, Electoribus quoque superiorem esse Judicem Imperatorem? Et tamen is de adpellationibus ab eorum judiciis cognoscere nequit. Taceo finem institutæ â Maximiliano Cameræ primarium fuisse, ut pax publica in Germania stabiliretur, (C. II. §. XCII.) dolendumque jam merito esse, ut privatorum civiles causæ ad eam adpellando perductæ, Judicium hoc illustre mole sua fere obruant, totius Reip. Germanicæ malo.

§. 23.

§. XXIII.

Citatur Carpzovius.

Ac deprehendi quidem eundem in modum differentem *Bened. Carpzovium* in Diss. de *Privil. Elect. & Duc. Sax. de non adpell.* C. III. §. 32. n. 23. agentem de adquisitione hujus privilegii per præscriptionem. *Unicum addo*, inquit, *quod superioritati ac majestati nequaquam officiat hæc præscriptio. Nec enim extremæ provocationis concessio inducit exemtionem universalem, nec jus superioritatis tollit, quia semper excepta videtur querela super denegata vel protracta justitia, & vel saltem causæ in prima instantia Imperatori & Cameræ subjectæ scrupulum hunc possunt diluere.* Adduxi hæc tantum eam ob causam, ne paradoxa plane videatur sententia nostra. Quo igitur melius adhuc convincam lectoris animum, adjiciam sequentibus §is quædam, quæ omnino dubiis vacare efficient sententiam nostram, si quæ forte adhuc resederint in legentis animo.

§. XXIV.

Ulterior expositio.

Singulos quidem facultati adpellandi re-

renuntiare posse, supra dixi (C. II. §. XV.) idque omni dubio caret. Neque sic incommodum Judici superiori adferri, quisquam adfirmabit. Hinc illud quidem satis clare efficitur, ex universa civium societate sigillatim omnes facultati adpellandi renuntiare posse. Aliter enim quod alteri liceret, non permissum foret alteri, atque ita quibusdam tantum id ex privilegio licere oporteret (C. I. §. LXXXIV.) Finge igitur, singulos cives omnes renuntiasse conventione quadam cum Principe suo inita facultati adpellandi, atque sic illud saltim certum est, singulos eos omnes ob id pactum suum adpellare amplius ad Cæsarem Imperiique Tribunalia non posse. Anne igitur sic Princeps singulos eos omnes prohibere potest, ne ad Imperii Tribunalia adpellent? Potest. At omnes socii, dummodo jam simul omnes ponantur, efficiunt societatem, de qua quæritur. Ergo hoc modo universa societas renuntiavit haud quidem illicite juri suo adpellandi, quod in ipsius tantum favorem proditum fuit. Ac eodem modo semper licet universæ societati, quod singulis omnibus ex ea licet,

cet, niſi ſalus pulica id vetet. At eam quidem id in noſtra cauſa propoſita, interdicere, nemo adfirmabit.

§. XXV.

Amplior illuſtratio.

Tum quoniam de incommodo Cæſaris objicientium ſermo eſt, videndum eſt, quid ſit damnum incommodumque, quid non ſit. Damnum eſſe illud demum malum, quod ex læſione venit, naturalis juris doctores tradunt. Læditur vero alter, dum officiis tuis erga ipſum contrarium quid committis. Quod ſi ergo damnum ex hac ſubditorum promiſſione Cæſari enaſci, contendas, oſtendas, ſubditos, dum ſecundum hanc promiſſionem ſuam ad Cæſarem non amplius adpellant, officiis ſuis erga eundem contrarii quidquam committere, vel ſaltim ſic impediri, ut officia ſua erga Cæſarem non eodem modo, uti quidem antea, exequi poſſint. Hoc igitur proba, aut ſententia noſtra firma manebit.

§. XXVI.

Nova illuſtratio.

Atque idem illud eſt, quod ipſi Impe-

ratoris Consiliarii suaserunt Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici Legato in aula Cæsarea, cum is privilegium de non adpellando à Leopoldo Cæsare, quod pertineret ad Magdeburgenses, Halberstadienses aliasque noviter adquisitas terras, flagitaret an. 1685. satius nimirum esse, ut Ordines Provinciales eò adducerentur, ut ultrò isti adpellandi beneficio suo renuntient, uti *Samuel Pufendorfius* commemorat L. XIX. *Rer. Brand.* §. I. Ceterum consentit cum doctrina nostra *Hertius Diss. de Superiorit. Territ.* §. 30. itidemque quem jam memoravi, *Carpzovius* in citata *Dissert. de Privil. Elect. & Duc. Sax. de non adpell.* C. III. §. 33. 34. seqq. qui ex literis Augusti Electoris Saxoniæ ad Ferdinandum I. an. 1558. conscriptis probat, Duces quondam Saxoniæ, inprimis, ut *Carpzovius* putat, Wilhelmum III. consensu omnium statuum provincialium constituisse, ne quis sub pœna banni adpellare animum induceret. Quod & Ferdinandus I. in privilegio genti Saxonicæ dato repetit, atq; hoc ipso facto ejus generis pactum adprobavit.

§. 27.

§. XXVII.

De adquisitione hujus privilegii per tacitam civium renuntiationem.

Qui factis declarat, velle se sublatum esse jus suum, is tacite ei renuntiat (C. I. §. LX.) Cum igitur universitates & consociationes juri suo tacite renuntiare possint, (C. I. §. LXI.) efficitur inde, ut subditi quoque omnes juri adpellandi suo tacite renuntiare possint, quoniam id possunt expresse (§. XXI. seqq.) Ac quoniam sic privilegium concedere possunt cives, Si de ipsorum commodo vel incommodo tantum agitur (C. I. §. XCIV.) subditi sic quoque Principi suo privilegium de non adpellando constituent.

§. XXVIII.

Exemplum.

Quod si igitur Princeps publico edicto caveat, ne amplius subditi à Judiciis ipsius ad Imperii Tribunalia adpellent, iique adquiescant, neque amplius adpellent ad Cæsarem, neque de ea re coram illo conquerantur, admittunt actum juri suo contrarium (C. I. §. XVIII.) atque hoc facto Principi suo

con-

concedunt privilegium de non adpellando (C. I. §. XCVI.) quoniam is hoc facto prohibendi jus accipit, ne postea adpellent subditi ad Cæsarem (§. I.)

§. XXIX.

Aliud exemplum de adpellationum desuetudine.

Privilegium concedere cives, qui diuturno quodam temporis spatio vel sæpius data occasione jure suo non utantur, ut sic commodum cui redundet, quod aliòquin ob hujus obligationem redundare non poterat, supra dixi (C. I. §. XCV.) Quamobrem sic quoque privilegium de non adpellando concedent Principi suo subditi.

§. XXX.

Quid in hoc exemplo considerandum sit.

Enimvero si ullum difficulter usu adplicatur theorema, hoc sane difficillime. Nam primum is demum jure adpellandi usus non est, qui non adpellavit â sententia judicis iniqua & injusta. (C. II. §. XII.) Hinc si non adpellent subditi, propterea quod Judices æquitatem semper in pronuntiando, saltim

ex-

ex ſubjectorum opinione ſecuti ſunt, non renuntiant tacite juri ſuo adpellandi, quia non adfuit occaſio utendi. Tum illud quoque magnopere obſervandum eſt, poſſe contingere, ut unus alterve ex ſubditis, male forſitan de ea re inſtructi, adpellandi jure ſuo uſi non ſint, quod omnium ſubditorum conſenſum haudquaquam involvit. Deinde illud etiam prætermittendum non eſt, adeſſe in Germania alia quoque remedia, quibus iniqua Judicum ſententia corrigatur, unde ſic libertas adeſt, an adpellare malis, an alia ratione jus tuum obtinere (C. II. §. XVI.) Libertati vero tum demum renuntiatur non utendo, cum ſæpius neglexeris alterutro jure uti, quoties non aliud remedium avertendi damni, utilitatisve conſequendæ tuæ ſuperfuit, (C. I. §. LXXIX.) v. g. ſi non aliter damnum ex iniqua Judicis ſententia impendens propulſare potuerunt ſubditi, quam adpellando. Quod ſi vero ingens temporis ſpatium ſeu potius immemoriale effluxerit, quo nunquam â Principis ſui judiciis ad ſuprema Imperii Tribunalia adpellaverint ſubditi, tum ſane

maximus verisimilitudinis gradus adest, eos juri adpellandi suo tacite renuntiasse. Nam primum illud in hac rerum serie, quæ imperfectionibus exemta non est, vix continget, ut omnes Judices alicujus regionis Principi inprimis opibus valenti subjectæ omnibus semper causis legibus convenienter pronuntient, utpote quarum adplicatio multum sæpissime difficultatis excitat, quantumvis omni etiam subtilitate careant leges. Saltem partes litigantes iniquam sæpissime putabunt sententiam æquam vel ignorantia legum, vel adfectu quodam cœco ductæ. Atque ea ratione si immemorialis temporis ratio habeatur, consensus omnium etiam civium facilius patebit. Quin & cessabit hoc modo, quod tertio loco monuimus. Non enim semper leuterando supplicandove propellitur incommodum ex iniqua Judicis inferiori sententia imminens, sed ad eam eausam sæpius opus est adpellationis remedio. Solet quoque prætereà ad adpellandum facilior esse litigantium animus, quam ad supplicandum vel leuterandum, quoniam nimirum persuadent sibi, Judicem,

cem, quem experti ſunt, ut putant, ſemel iniquum, eum quoque poſtea ſe præbiturum, nec correcturum eſſe, quam pronuntiavit ipſe ſententiam. Cum igitur maximus veriſimilitudinis gradus, qui in hac cauſa adeſt, veritati conferatur in rebus facti, renuntiaverunt hoc modo cives juri ſuo adpellandi, quo immemoriali tempore uſi non ſunt, atque ſic privilegium de non adpellando in Principem ſuum contulerunt. Ac ea quidem ratione Duces Wirtenbergicos jus de non adpellando adquiſiviſſe, ſupra expoſui. (C. II. §. CV.) Tametſi quoque Camera Imperii eam præſcriptionem non ſufficere ad privilegii hujus adquiſitionem, in cauſa quadam ſpeciali pronunciaverit, uti *Roſenthal de Feud.* C. V. *Concl.* 16. in *not. lit.* a refert, id tamen jus in aliis cauſis non conſtituit. Potius communis Germaniæ uſus fert, ut immemoriali tempore omnia jura vel adquirantur, vel amittantur. (C. I. §. CXII.)

§. XXXI.

Monitum.

Contingit aliquando, ut aliarum quoque regionum civibus cum noſtris in-

tercedat lis judiciis nostris agitata. Ii quidem cum sic omnibus provinciæ nostræ legibus, consuetudinibus & statutis teneantur, quantum ex iis ad hæc litium genera pertinet, nec eos quidem sic adpellare posse, existimaverim, si vel expresse, vel tacite â civibus nostris adpellandi juri renuntiatum fuerit.

§. XXXII.
Quando hoc privilegium a summo Imperante concedendum.

Privilegia â summo Imperante concedi posse, imo concedenda esse, quoties ipsi cives commoditatibus suis renuntiare recusent, docui. (C.I. §.XCVII.) Quod inprimis ei licere, exposui, cum incertum sic tantum lucrum, incerta commoditas iis adimatur, resque cum publica salute consentiat. (C.I. §.XCVIII.) Cum igitur maxime sit incertum adpellationis auxilium indeque obtinenda commoditas, idque omnino publicæ saluti consentaneum sæpius sit, privilegium etiam de non adpellando â summo Imperante concedi potest, si cives ipsi adpellandi juri suo renuntiare tergiversentur.

§. 33.

§. XXXIII
An & quomodo ab Imperatore concedi possit.

In Germania Imperator salva superioritate Ordinum territoriali, exceptisque iis, quæ pacta & inprimis Capitulationes aliter determinarunt, seu potius, quantum ei possessio vindicat, supremus Imperans est. Ergo non tantum inde â vetustissimis temporibus Reges largiti sunt varia de non adpellando privilegia, verum & hodienum ea concedere possunt, cum id neque superioritatem Principum territorialem imminuat, neque consuetudine, neque pactis aliter determinatum sit. In *Capitulatione* tamen novissima *Carolina* provisum, ne in ejus generis privilegiis concedendis nimis facilis sit Imperator, sed potius paterno more agat. Verba §. 18. ea sunt. In Ertheilung aber der jetzt gemeldten Privilegiorum de non adpellando, non evocando, Electionis fori und dergleichen, welche zu Ausschließ- und Beschränckung des H. Reichs Jurisdiction, oder der Stände ältern Privilegien, oder sonst zum Præjudiz eines Tertii ausrinnen können,

 sol-

sollen und wollen Wir die Nohtdurfft Väterlich beobachten. Comparantur nimirum Parentibus Reges, subditi filiis. Parentes igitur cum ad salutem felicitatemque filiorum omnia referant, Reges quoque si paterno more imperent, ad salutem subditorum, non suam, exigunt omnia. Patet itaque obligatum esse his Capitulationis verbis Imperatorem, ut antequam privilegia de non adpellando concedat, disquirat inprimis, an id ad salutem subditorum pertineat, eosque paterno more audiat, neque iis invitis adpellandi jus suum adimat, nisi id ad ipsorum salutem felicitatemque maxime pertinere cognoverit.

§. XXXIV.

An tacite ab eo concedi possit.

Jus de non adpellando est privilegium. (§. III.) Quod cum â summo Imperante tacite quoque concedi possit, (C. I. §. CII.) jus de non adpellando etiam tacite ab eodem concedi potest.

§. XXXV.

Exemplum.

Quod quo pacto fieri possit, præsertim in Germania, videbimus. Nimirum

rum Cæſar, vel ejus nomine ſuprema Imperii judicia adpellationes ab Ordinum in Germania judiciis interpoſitas recipiendi discutiendique jus habent. Quod ſi igitur quidam ex Imperii ſtatibus contradixerit Cæſari, ne recipiat provocationem, isque adquieſcat neque eam recipiat, dum ſic actum contrarium juri ſuo admittit, tacite privilegium ei, qui contradixit, concedit. (C.I. §. CIII.) Quod ſi aliis cauſisimpeditus fuit, quo minus jure ſuo uſus ſit Imperator, tum renuntiaſſe ſtatim juri ſuo & privilegium conceſſiſſe, dici vix poteſt. (C. I. §. LXVI.) Unde hoc facto multum refert, ut temporis aliquod ſpatium effluxerit poſt factam contradictionem. Quod jam multo magis neceſſarium eſt, quo Imperator interea disquirere potuerit, an id ſubditorum ſaluti conſentiat. (§. XXXIII.)

§. XXXVI.
Aliud exemplum.

Eodem modo ſi Imperator cognoverit, quendam ex Ordinum numero prohibere ſibi ſubjectos, ne amplius ad ipſum vel ſuprema Imperii Judicia adpellent,

lent, neque eum prohibeat, tacite ſane hoc facto privilegium de non adpellando ei concedit (C. I. §. CIV.) Quoniam vero Imperatori diſquirendi tempus eſſe debet, an id ſubditorum felicitati congruat, isque impedimentis ſolutus eſſe debet, meritò ob eam cauſam temporis ſpatium accedat, oportet.

§. XXXVII.

Jus de non adpell. adhæret dignitati.

Principes Electores aliosque nonnullos privilegio de non adpellando inſtructos eſſe, ſuperiori Capite docui. Gaudent vero Electores Imperii eo jure propterea quod ſunt ii, penes quos eſt Romanorum Regem eligendi poteſtas, gaudet Sueciæ Rex idcirco, quod eſt Dux Pomeraniæ, Princeps Rugiæ & Dominus Wiſmariæ. Quamvis igitur ante Caroli IV. aliorumque Regum conceſſionem ſpecialem id juris non fundatum fuerit in Electorali dignitate, ideòq; facultas adpellari non poſſit (C. I. §. XIII.) attamen poſtquam Carolus IV. id Electoribus omnibus, Ferdinandus III. Regi Sueciæ, qua Duci Pomeraniæ, conceſſit, ratio jam ejus juris exercendi

di continetur in Electorali dignitate, in Ducis Pomeraniæ quoque dignitate. Possumus itaque libere adfirmare, jus de non adpellando adhærere dignitatibus iis. Hinc in quibus terris Electores considerandi sunt, uti Electores Imperii, Regesve Sueciæ, uti Pomeraniæ Duces, in iis exercent jus de non adpellando. Non repugnabo etiam, si dicas, datum esse id privilegii à Carolo IV. in omnibus iis terris, quas tum possederunt.

§. XXXVIII.

An in provinciis noviter adquisitis exerceatur.

Cum igitur in provinciis noviter adquisitis non considerandi sint ut Electores, sed pro ea dignitate, quæ cum hac terra conjuncta est, privilegium hoc ad provincias noviter adquisitas non pertinet. Alia ratione ita etiam argumentum duces, quoniam à Carolo IV. privilegium hoc Electoribus tantum in iis terris indultum sit, quas tum possedere, extendi id non posse ad postea adquisitas terras, quia privilegium ultra voluntatem concedentis extendendum non sit. (C. I. §. CXVI.)

§. 39.

§. XXXIX.

De usu Germaniæ.

Congruit id quoque usui & observantiæ Imperii nostri. Electores enim privilegium hoc non exercere, constat, in terris, quæ ab Electoralibus separatam rationem habent, nisi speciatim id quoque concessum fuerit. Sic Elector Brandenburgicus non exercet id juris in reliquis provinciis suis, in quibus ut Elector non reputatur. Eodem modo Magnæ Britanniæ Rex in Germania possidet Ducatum Lauenburgicum. Sed cum in ea provincia non spectetur esse Elector Brunsvicensis, sed Dux Lauenburgicus, jus quoque de non adpellando in ea regione haud exercet.

§. XL.

Dignitas Electoralis adhæret terris.

Dixi itaque, adhærere jus de non adpellando ex concessione Imperatorum dignitati Electorali (§. XXXVII.) Jam provehamur amplius. Ostendam enim nunc, dignitatem Electoralem ita conjunctam esse cum terris antiquitus cum eadem connexis, ut ab iis separari amplius nequeat, sed potius simul cum terris ipsis ad legitimos quoscunque pos-

possessores transeat. Atque hac in re ut partibus meis fungar, verba ipsa *Aureæ Bullæ*, C. XX. princ. tota huc transcribam, utpote quæ omnem rem luce quidem clarius exponunt. Atque ea ita se habent: *Præsenti Edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, unumquemque Principatuum prædictorum cum jure & voce Electoris ac officio ceterisque omnibus dignitatibus, juribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus ita perseverare & esse debere unitum perpetuis temporibus indivisibiliter & conjunctum, quod Possessor Principatus cujuslibet, etiam juris, vocis, officii, dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum spectantium quieta debeat ac libera possessione gaudere, ac Princeps Elector reputari.*

§. XLI.

Dignitates reliquæ terris cohærent.

Eadem plane ratione dignitates Ducum aliæque ita cohærent terris suis in Germania, ut hæ quidem separari ab iis nequeant, sed potius simul cum iis honorum titulis ad legitimos quoscunque possessores transeant. Hinc Fridericus I. Imperator in Diplomate Henrico

rico Auſtriaco dato ait: *Marchionatum Auſtriæ & dictam Marchiam ſupra Anaſum commutavimus in Ducatum.* In Diplomate Friderici II. Ottoni Duci Brunſvicenſi & Luneburgenſi primo dato apud *Meibomium, Maderum, Leibnitium* ita ſe habent verba: *Præterea -- caſtrum de Luneburch, de quo nemini tenebatur, & civitatem Brunſvic univimus & creavimus inde in Ducatum.*

§. XLII.

Jus de non adpellando eſt privilegium reale.

Cum igitur jus de non adpellando adhæreat dignitati Electorali vel alii (§. XXXVII. hæc vero cohæreat determinatis quibusdam terris (§. XL. XLI.) jus etiam de non adpellando eodem modo, uti ipſa dignitas, determinatis quibusdam terris cohæret, quæ ſcilicet ad dignitatem eam pertinent, ideoque privilegium eſt reale (§. III. C. I. §. CXXIX.)

§. XLIII.

Dubium Bergeri.

Dubium contra eam ſententiam movet *Fridericus Ludovicus N. D. de Berger*

in

in Dissertatione de *non cessibili qualitate juris de non adpellando*, quam *Animadversionibus* suis *ad Cocceji Prudentiam Juris Publici* subjunxit. Existimat is enim, magis esse, ut privilegium personale sit, atque ad familiam certam simul adstrictum, quæ vocantur mixta. (C.I. §.CXX.) Citat propterea privilegium Friderici I. Henrico Austriaco Duci concessum, quo id privilegii ad familiam Henrici Ducis tantum restrictum esse videatur. Id enim innuere verba: *ob singularem favorem, quo erga dilectissimum Patruum nostrum Henricum Austriæ Ducem, nec non erga terram Austriæ afficimur.* Magis id quoque innuere ejusdem diplomatis verba: *ita tamen, quod ab ejusdem sanguinis stipite non recedat.* Sed licebit obis pace ipsius in hoc argumentum ejus paulo adcuratius inquirere. Sic enim fiet, ut quanquam jam antea, solidissima, ut existimamus, ratione theorema nostrum demonstratum sit, tamen majori lectorum animus fiducia convincatur, si dubia quoque cuncta fuerint remota.

§. XLIV.

Responsio.

Concesserim igitur primum, senten-

tiam nostram valituram non esse, si expressis verbis in Imperatoria concessione privilegium istud ad familiam quandam restringatur, quod in Austriacorum privilegio factum esse, persuasit sibi *Dnus de Berger*. Nam etsi Electorales quoque dignitates ex regula cohæreant semper determinatis quibusdam terris Electoralibus, (§. XL.) nihilo tamen secius cum erigerentur octavus nonusque Electoratus, quamvis ii terris quibusdam simul connecterentur, cautum est, ut, familiis, cui ii concessi sunt; exstinctis, Electoratus quoque exstinguerentur, neque tum amplius cum iis terris conjuncti essent. Atque ea ratione dubium non est, quin familiis iis exstinctis, Electorales quoque dignitates evanescant, neque amplius iis regionibus cohæreant. Summum enim in Rep. Imperantem, si privilegium concedat, jus tibi datum limitatione quadam circumscribere posse, quæ alioquin in isto jure communiter non adsit, facile quidem per se patet. Nihilòminus tamen cum hoc, quod de octavo & nono Electoratu adduxi, ad reliquos Aurea Bulla confirmatos extendendum

non

non ſit, neque privilegii de non adpellando conceſſio extra ordinem ad familiam quandam reſtricta regulam conſtituere, atque ad alia de non adpellando privilegia, de quibus id diſerte proviſum non eſt, proferri poteſt. Cum enim Princeps in literis conceſſionis jus, quod concedit, non limitaverit, notio ejus juris communis ſequenda eſt (C. I. §. XC. CXXXIII.)

§. XLV.

Continuatur.

Tum etiam illud, ut arbitror, probe notandum veniet, quod Friderici I. temporibus Archi-Officia nondum ita cohæſerunt terris quibusdam certis ac definitis, atque ea quidem nunc cohærent. Ut quædam exempla hujus rei in medium adferam, conſtat, Friderico I. regnante Archi-officium Trutſeti, quem Latio ſermone Dapiferum vocant, a Ducatu Sueviæ, quocum hucusque connexum fuerat, ſeparatum eſſe, traditumque Comiti Palatino. Eodem modo cum Bavariæ Ducatus reſtitueretur Henrico Leoni, isque jam propter Saxoniam Archiofficialium in numero eſſet, tranſtulit Imperator Archi Pin-

cernæ officium, quod penes Bavariæ Ducem fuerat, ad Ottocarum Bohemiæ Regem sine ullis terris, quod fieri non potuisset, si dignitates eæ jam tum ita cohæsissent regionibus quibusdam determinatis, a quibus disjungi nequeant (§. XL.) Hodiernis itaque temporibus id non licere, patet, cum Archi-officia ea, a quibus eligendi Romanorum Regem facultas pendet, terris quibusdam certis cohæreant. Comites Palatinos de Rheno tenuisse olim propter munus suum feuda prope Aquisgranum in Ducatu Juliacensi, ex *Tölneri Historia Palatina* constat. Eo vero tempore recesserunt Comites Palatini in eas terras, a quibus nunc Archi Palatini Comitis officium pendet, eas, quas prope Aquisgranum possederant, Comiti tum Juliacensi inprimis, clientelari feudi nexu concesserunt. Quod profecto fieri non potuisset, si jam tunc temporis cohæsisset Palatini Comitis dignitas iis terris, quibus nunc indissolubili quodam vinculo cohæret. Notum quoque est, Fridericum I. creasse Ladislaum Bohemiæ Regem, qui hucusque Dux fuerat. Ea tamen dignitas non conjuncta tum
fuit

fuit cum terris ipsis Bohemicis, quod demum factum est Philippo regnante ejus filio. Omitto, quæ de Henrico Leone Ducatu Saxoniæ iniquum in modum spoliato notare possem, nimirum quod Saxoniæ Ducis dignitas postea Bernhardo Ascaniæ Comiti collati sit sine feudis iis, quæ antiquitus Duces Saxoniæ propter hoc, quod gesserunt, munus tenuerant, utpote quæ cesserunt Electori Coloniensi. Quod cum hodie mutatum prorsus sit, non licet de iis temporibus argumentum proferre ad hæc nostra.

§. XLVI.

Ulterior dubiorum solutio.

Neque etiam verba ipsa: *ob singularem favorem, quo erga delectissimum Patruum nostrum Henricum Austriæ Ducem afficimur*, id nobis indicare videntur, ut propterea privilegium Austriacum, multo minus reliqua de non adpellando privilegia existimentur personalia potius, quam realia. Ratio enim nulla sufficiens adest, ob quam privilegia gratiosa (C. I. §. CXIII.) realia simul esse nequeant. Taceo, quod ejus generis verba in plerisque tantum non privilegiis

â Germanorum Regibus concessis inveniantur. Omitto quod sic quoque ipsa Ducis dignitas ad familiam tantum Henrici Ducis restricta debuerit esse, quod nec ipse *Dnus de Berger* adfirmabit.

§. XLVII.

Amplior responsio.

Atque ita putabam primum, dubiis *Dni de Berger* responderi posse. Postea evolvi ipsum diploma Friderici Cæsaris, quod est apud Cuspinianum & Limnæum. Examinavi verba alia â *Bergero* citata, quæ quidem huc integra transcribam: *Inter Duces Austriæ qui senior* (primumgenitus) *fuerit, dominium habeat dictæ terræ. Ad cujus etiam seniorem filium jure hæreditario deducatur: ita tamen, quod* (ut) *ab ejusdem sanguinis stipite non recedat, nec ducatus Austriæ ullo unquam tempore divisionis alicujus recipiat sectionem.* Uterque paragraphus hic citatus, ut mihi quidem videtur, non loquitur de Jure de non adpellando, sed tantum de successione in Ducatu Austriaco, ut nimirum primumgenitus filius atque ex ejus posteris rursum primum genitus dominium ejus terræ habeat, ita tamen ut primum-

mumgenito ſine filiis decedente, ejusve linea exſtincta, reliqui agnati ab eodem ſanguinis ſtipite progerminantes nequaquam tum excludantur â ſucceſſione. Ac ita intelligenda quidem mihi videntur verba: *ab ejusdem ſanguinis ſtipite non recedat.* Carolus V. in Diplomate Germanico, quo Auſtriacorum jura confirmavit, quod eſt apud Limnæum, ita vertit: **Der áltiſt unter den Hertzogen ſoll die Herrſchafft des Landes haben, und nach ihm ſein áltiſter Sohn, erblich, doch alſo daß er von dem Stammen des Bluts nicht kám, und daß diß Hertzogthum nimmermehr getheilet ſoll werden.** Ex qua verſione Germanica denuo elucet, quæ hic ſcripta exiſtunt, tantum de ſucceſſione intelligenda eſſe.

§. XLVIII.

Jus de non adpellando cedi poteſt.

Jus igitur de non adpellando eſt privilegium reale. (§. XL. ſqq.) At quoniam privilegium reale ſimul cum ipſis terris ad omnes poſſeſſores tranſit, iisque cedi poteſt, (C. I. §. CXXX.) Jus quoque de non adpellando ſimul cum regionibus, quibus cohæret, aliis cedi poteſt.

§. XLIX

Quando libere cedi possit.

Quoties igitur regio ipsa, cui hoc privilegium cohæret, in alios transferri potest libere, toties etiam Jus de non adpellando cum ea regione connexum libere in alium transferri, eique cedi potest cum terris ipsis.

§. L.

De translatione feudorum in Germania.

Germanorum moribus atque institutis ea servatur ratio, ut omnes terræ regales â Cæsare & Imperio feudi jure accipiantur. (§. XV.) Qua ratione confirmatur Principi superioritas jam antea ex jure hæreditario (§. XIV.) vel ex pacto cum Imperatore inito, atque inprimis ex simultanea investitura debita. Quoties igitur in eum trans ferenda terra regalis (voco autem terram regalem eam, quacum dignitas connexa est, ex qua superioritas territorialis pendet,) cui neque ex jure hæreditario, neque ex pacto cum Imperatore debetur, is non potest necessario jure investituram quasi jam antea sibi debitam, ab Imperatore poscere, & cum feuda in Germa-

mania ſine inveſtitura poſſideri legitime nequeant, tales etiam terræ ab eo legitime poſſideri, vel perpetuo in eum jure transferri nequeunt, niſi novum cum Imperatore pactum vel ejus conſenſus, quod idem eſt, accedat. Nemo igitur ex regula in Germania feudum regale ſine Imperatoris conſenſu adquirere poteſt.

§. LI.

Quando non libere cedi poſſit jus de non adpell.

Cum igitur Jus de non adpellando adhæreat terris, (§. XLII.) eæ vero ſine Imperatoris conſenſu in Germania transferri non poſſint in eum, cui non debentur ex jure hæreditario, vel contractu, ſi regulam ſpectes, (§. L.) colligitur inde, nec Jus de non adpellando, quod regioni iſti cohæret, ad alium, cui non debebatur regio iſta tranſire poſſe. Atque hoc modo vera eſt ſententia *Dni de Berger*, quam expoſuit in citata *Diſſertatione de non ceſſibili qualit. Jur. de non adpell.*

§. LII.

De privilegio Electorum.

Veruntamen Principes Electores Impe-

perii ab ea regula sunt exemti. Statuit enim *Aurea Bulla Tit.* X. ut iis etiam sine consensu Imperatoris regales terras comparare liceat, ita, ut is propterea investituram iis denegare prorsus nequeat. Quod privilegium octavo quoque & nono Electori competit idcirco, quoniam omnia reliquorum Electorum jura simul cum ipsa Electorali dignitate acceperunt.

§. LIII.

Electoribus jus de non adpell. libere cedi potest.

Cum igitur Jus de non adpellando toties libere simul cum terris ipsis in alios transferatur, quoties ipsæ terræ regales libere transferri in alium possunt, (§. XLIX.) sequitur, ut Electoribus etjam Jus de non adpellando simul cum regione, cui id cohæret, libere sine accedente Cæsaris consensu cedi possit,

§. LIV.

Exemplum.

Ut exemplo hoc declarem, quis dubitet, Ducatibus Bremensi Verdensique in Regem Magnæ Britanniæ, qua Electorem Brunsvicensem ac Luneburgensem translatis, pace cum Suecis inita, Jus

Jus etiam de non adpellando ſimul in eum translatum eſſe, ſine accedente Imperatoris conſenſu, propterea quod novus Elector omnia reliquorum Electorum jura conſecutus ſit.

§. LV.

De pignoris poſſeſſore.

Ceterum facili quoque negotio intelligitur, dummodo Germanorum mores in oppignoratis territoriis reſpicias, prout eos expoſuit *Nic. Hier. Gundlingius* in *Diſſertatione de Jure oppignorati territorii*, etiam oppignorato territorio Jus de non adpellando in pignoris poſſeſſorem tranſire. Jus enim de non adpellando reale eſt, quod regionibus terrisque ipſis cohæret. (§. XLII.) Quæ omnia cum in quemcunque poſſeſſorem tranſeant libere, quoties libere transferri poſſunt ipſæ terræ (§. XLIX.) ſatis, ut arbitror, clare hinc perſpicitur, privilegium hoc etiam in pignoris poſſeſſorem tranſire libere, eodem modo atque ipſa oppignoratio libere fieri poteſt. Sic Magnæ Britanniæ Rex, qua Elector Brunſvicenſis, Comitatum Delmenhorſtanum poſſidet, pignoris nexu â Danis ſibi traditum, unde ex iſto Comitatu

jam

jam non amplius ad Regem Daniæ, sed Hannoveram ad Cancellariam, quam vocant, provocatur, inhibita provocatione ulteriori, si causa ipsa eam non admittat.

§. LVI.

Alia ratio cur privilegium hoc cedi possit.

Alia quoque præterea ratio accedit, ob quam cedi posse Jus de non adpellando adfirmes. Regula nimirum in legibus & jure satis fundata est, id omne, quod præscriptibile sit, esse quoque cessibile. Cum vero supra demonstratum sit. (§. XXX. sqq.) Privilegium de non adpellando præscriptione immemoriali adquiri posse, sequitur, id quoque cum terris ipsis, quibus adhæret, cessione adquiri posse.

§. LVII.

Jus de non adpell. continet querelam nullitatis.

Querela nullitatis non tantum est adpellationis species, (§. XXIII.) verum & Germanis ante Jus Romanum invectum semper sub eadem adpellationis voce comprehensa fuit. (§. XXV.) Cum igitur in privilegiis interpretandis sequenda sit communis vocis notio, (C. I.

§. 133.

§. CXXXIII.) eaque notio, quæ ſemel legibus Germaniæ publicis introducta ſit, retineri ſemper ſoleat, ſequitur privilegium de non adpellando excludere quoque nullitatis querelam. Hinc ſi à ſtatuum Judiciis adpellari ad ſuprema Imperii Tribunalia non poſſit, nec querela tum nullitatis locum habebit. Atque hoc loco præcipue notatu digna mihi videntur verba privilegii Cæſarei, Sereniſſimæ Familiæ Electorali Brunſvico-Luneburgenſi conceſſi. Als haben wir bemeldetes Privilegium de non adpellando allermildeſt verliehen und mitgetheilet: thun das, theilen mit und verleihen daſſelbe alſo von Römiſcher Käyſerlicher Macht und Volkommenheit nach Ziel und Maß der guldnen Bull hiemit wiſſentlich in Krafft dieſes Briefes und meynen, ſetzen ordnen und wollen, daß hinführo bey keinem Bey-oder End-Urtheil, Erkenntniß, Decret und Abſchieden von Ihro Liebden, als Churfürſten zu Braunſchweig und Lüneburg, oder der daſigen Hofgericht geſprochen in allen Sachen durch jemand keine Appellation Provocation oder Reduction-Statt haben ſoll. Da auch darüber durch jemands von Ihro

ro Liebden oder der Chur-Braunschweigischen Hof-Gericht Erkenntniß, Urtheil, Decret oder Abschied Appellation, Supplication, Reduction oder Beruffung beschehen 2c.

§. LVIII.

De praxi Germaniæ.

Atque eum in Camera quoque Imperii morem observari, ut, si summa, de qua lis agitatur, adpellationem â statuum Judiciis non admittat, nec querela nullitatis recipiatur, testis est *Gamsius ad Rec. Imp. de* 1654. §. 116. (122.) Quod quidem *Dnus de Ludolf* in Jure Camerali de communi 400. Joachimicorum summa explicat, atque in reliquis causis querelam nullitatis coram Camera nunquam non institui posse, adfirmat. At quoniam contrariam sententiam §. LVII. defendimus, ii quidem Imperii status, qui id fieri, concedunt, suo juri renuntiant, aliis vero, qui id nondum admisserunt, nihil inde incommodi enascetur.

§. LIX.

An Camera Imp. jus de non adpell. habeat.

Ceterum cum Revisio, quæ contra Cameræ Imperii iniquas sententias competit, species adpellationis sit, (C. II. §. CXV.)

Ca-

Cameram Imperialem Jus de non adpellando habere, dici vix poteſt.

§. LX.

De renuntiatione hujus privilegii.

Reſtat jam, ut, quibus modis hoc de non adpellando privilegium tolli poſſit, videamus. Quoniam igitur unusquisque juri ſuo per privilegium adquiſito renuntiare poteſt, (C. I. §. CXXXIX.) licebit etiam privilegio de non adpellando renuntiare.

§. LXI.

De renuntiatione tacita.

In privilegio de non adpellando obligati ſunt ſubditi, ne ad ſuperiorem Judicem adpellent. (§. V.) Quod ſi ergo adpellant, faciunt, quod ipſorum obligationi contrarium eſt. Pone igitur, Principem non ignorantem neque impeditum pati, ut ab ipſius Judiciis ad ſuprema Imperii Tribunalia provocetur. Admittit is ſic actum juri ſuo contrarium. (C. I. §. LXII.) taciteque ita privilegio ſuo de non adpellando renuntiat. (C. I. §. CXLV.)

§. LXII.

Monitum.

Germaniæ non tantum mos eſt, verum etiam id jam injungi ſolet iis, quibus Jus de non adpellando conceditur, ut ſupremum quoddam tribunal habeant, quo adpellationes

nes dirigantur. (C. II. §. CVII.) Quod si igitur status provinciales tantum Principi suo sumtuum suppeditare nolint, ut is ejusmodi supremum Judicium instituat, isque interea adpellationes ad Imperii judicia permittat, impeditur Princeps, quo minus jure suo utatur ideoque juri suo de non adpellando haud renuntiat.

§. LXIII.

De Electoribus Trevirensi & Coloniensi.

Quamobrem neque Elector Trevirensis neque forte Coloniensis renuntiarunt privilegio suo de non adpellando, quoniam statibus Provincialibus sumtus negantibus, provocationum supremum Tribunal instituere nequeunt, atque adeò quo minus privilegium suum exercere possint, impediuntur.

§. LXIV.

De *querela de justitia denegata.*

Quoniam denique à Principum Electorum judiciis quamvis adpellatio denegetur, querela tamen de justitia denegata permissa est, (C. II. §. XCVII.) ea vero locum habeat, si Judex officio suo desit, legumque observantiam non tueatur, nec causam ad ejus judicium perlatum examinare, neque sententiam omnino pronuntiare velit, (C. II. §. XXVIII.) facile est intellectu, quibus causis querela de justitia denegata contra status Imperii coram supremis Imperii Tribunalibus institui possit.

TANTUM.

